CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM
DE SACRA LITURGIA

# NOTITIAE

31-33

IULIO-SEPTEMBRI 1967

CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

SACRA CONGREGATIO PRO SACRAMENTIS ET CULTU DIVINO
SECTIO PRO CULTU DIVINO
ARCHIVUM

# NOTITIAE

Commentarii ad nuntia
de re liturgica edenda cura
*Consilii*
*ad exsequendam Constitutionem*
*de sacra Liturgia*

« Notitiae » prodibunt semel in mense. Libenter, iudicio Directionis, nuntium dabitur Actorum, inceptuum, editionum in re liturgica, praesertim e Coetibus Episcoporum vel Commissionibus liturgicis nationalibus emanantium, si scriptorum vel periodicorum exemplar missum fuerit.

*Directio*: Commentarii sedem habent in Civitate Vaticana, Palazzo S. Marta, ad quam transmittenda sunt epistolae, chartulae, manuscripta, his verbis inscripta: NOTITIAE, *Città del Vaticano*

*Administratio* autem residet apud
*Libreria Editrice Vaticana*
*Città del Vaticano*

Pro commentariis sunt in annum solvendae:
in Italia lit. 2.000
extra Italiam lit. 3.000 ($ 5)
singuli fasciculi veneunt:
lit. 200 ($ 0,35)
Pro annis praecedentibus
singula volumina: lit. 4.000 ($ 7)
id. linteo contecta: lit. 5.000 ($ 8,40)
singuli fasciculi lit. 400 ($ 0,70)

★

Libreria Editrice Vaticana
C.c.p. N. 1-16722

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS


31-33

Vol. 3 (1967), n. 6

SUMMARIUM


*Sacra Congregatio Rituum*

Instructio de cultu mysterii eucharistici . . . . . . 225

Commentarium:

— ad Prooemium et I partem (J. Tillard, O.P.) 261

— ad II partem (I. Lécuyer, C.S.Sp.) . . . . 271

— ad III partem (Mons. S. Famoso) . . . . . 280

*Acta Consilii*

Epistola ad Praesides Conferentiarum Episcopalium . . 289

Adunationes Coetuum a studiis . . . . . . . . . 297

In nostra Familia . . . . 297

*Actuositas Coetuum Episcoporum*

Incepta ad instaurationem liturgicam moderandam . . 298

Documentorum explanatio . 300

# SOMMAIRE

**Instruction sur le culte eucharistique** (pp. 225-288)

Le fascicule traite presque exclusivement de l'Instruction sur le culte eucharistique préparée par le « Consilium » en deux années de travail. Trois Consulteurs du « Consilium » commentent les trois parties de l'Instruction, exposant les principes généraux, qui ont orienté la rédaction du document, et la manière d'en saisir l'esprit authentique.

**Lettre aux Présidents des Conférences Episcopales** (pp. 289-296)

Le 21 juin 1967, le Président du « Consilium » a envoyé aux Présidents des Conférences Episcopales une lettre sur certains aspects de la réforme liturgique. Le travail accompli pour orienter le mouvement liturgique et préparer les nouveaux livres liturgiques, a reçu récemment l'auguste témoignage de satisfaction du Saint-Père, et a produit ses fruits dans les trois derniers documents. Quelques nouveaux rites: le catéchumenat des adultes, les obsèques des adultes, ont été accordés *ad experimentum;* d'autres le seront prochainement: baptème des enfants, mariage, préfaces, nouvelles prières eucharistiques. Il est cependant nécessaire que les Commissions liturgiques nationales collaborent pour adapter et déterminer les rites selon les situations concrètes; elles doivent aussi faire connaître le résultat des expériences. Une nouvelle charge leur est confiée: diriger et organiser les expériences et empêcher l'arbitraire et l'initiative individuelle.

**Activités des Conferences Episcopales** (pp. 298-299)

Ces pages se rapportent à des initiatives et à des jugements sur la réforme liturgique, tirés des rélations envoyés par le Burundi, le Japon, la Nouvelle Guinée, le Mexique.

**Solution de doutes** (pp. 300-304)

La *seconde Instruction* pose quelques questions: Est-il permis de chanter la bénédiction à la fin de la Messe? Est-il encore obligatoire de se purifier les doigts au-dessus du calice? Comment peut-on organiser les matines du dimanche?

# SUMARIO

**Instrucción sobre el culto del misterio eucarístico** (pp. 225-288)

El fascículo se ocupa casi exclusivamente de la Instrucción sobre el culto del misterio eucarístico, preparada por el « Consilium » en dos años de trabajo. Tres consultores del « Consilium » comentan las tres partes de la Instrucción, exponiendo los principios generales que han dirigido la redacción del documento, de modo que se capte su genuina inspiración.

**Carta a los Presidentes de las Conferencias Episcopales** (pp. 289-296)

El 21 de junio de 1967 el Presidente del « Consilium » envió a los Presidentes de las Conferencias Episcopales una carta sobre algunos aspectos de la reforma litúrgica. El trabajo de orientación del movimiento litúrgico y de preparación de los nuevos libros litúrgicos recibió recientemente la Augusta complacencia del Padre Santo, y ha dado sus frutos en los últimos tres documentos. Algunos nuevos ritos: catecumenado de adultos, exequias de adultos, fueron concedidos *ad experimentum;* otros lo van a ser próximamente (bautismo de niños, matrimonio, prefacios, nuevas preces eucarísticas). Es necesario sin embargo que las Comisiones Litúrgicas Nacionales colaboren para adaptar y determinar los ritos según las situaciones concretas, y comuniquen sus resultados. Se les asigna una nueva tarea: dirigir y organizar los experimentos e impedir la arbitrariedad y la iniciativa individual.

**Actividad de las Conferencias Episcopales** (pp. 298-299)

Se refieren iniciativas y juicios sobre la reforma litúrgica, extractados de relaciones enviadas al « Consilium » desde Burundi, Japón, Nueva Guinea y México.

**Solución de dudas** (pp. 300-304)

La *Instructio altera* da lugar a algunos interrogantes: es permitido cantar la bendición final de la Misa? Es todavía obligatoria la purificación de los dedos sobre el cáliz? Cómo se pueden ordenar los maitines de las domínicas?

# SUMMARY

**Instruction on the Worship of the Eucharistic Mystery** (pp. 225-288)

The fascicle treats almost exclusively of the Instruction on the worship of the Eucharistic Mystery, which was prepared by the *Consilium* through two years of work. Three consultors to the *Consilium* provide the commentary on the three parts of the Instruction, explaining the general principles which guided the formulation of the document and the manner in which its genuine spirit can be grasped.

**Letter to the Presidents of the Episcopal Conferences** (pp. 289-296)

On June 21, 1967, the President of the *Consilium* sent to the Presidents of the Episcopal Conferences a letter on certain aspects of the liturgical reform. The work of guiding the liturgical movement and of preparing the new liturgical books received recently the congratulations of the Holy Father and has borne fruit in the last three documents. Certain new rites: the adult catechumenate, adult burial ceremony, have been granted *ad experimentum;* still others will be granted in the near future (infant baptism, marriage, prefaces, new Eucharistic canons). It is, however, necessary that the various national liturgical Commissions cooperate with this work in adapting these rites to concrete situations and report on the results. A new function is confided to them: to direct and organize all experiments and to restrain private initiative and license.

**Activities of the Episcopal Conferences** (pp. 298-299)

Undertakings and judgments on the reform of the liturgy drawn from the reports sent to the *Consilium* from Burundi, Japan, New Guinea, Mexico.

**Solutions of doubts** (pp. 300-304)

The Second Instruction raised a few questions: is it permitted to chant the final blessing of the Mass? is the purification of the fingers over the chalice still a matter of obligation? what is the proper order for Matins on Sundays?

## ZUSAMMENFASSUNG

### Anordnung über die Eucharistie im Gottesdienst (S. 225-288)

Das Dokument behandelt fast ausschliesslich die Anordnung über die Eucharistie im Gottesdienst, die durch das « Consilium » in zwei Jahren ausgearbeitet worden ist. Drei Experten des « Consilium » geben einen Kommentar über die drei Teile der Anordnung. Sie behandeln die allgemeinen Grundregeln, die die Redaktion des Dokumentes orientiert haben, sowie die Art .und Weise seinen echten Geist zu erfassen.

### Brief an die Vorsitzenden der Bischofskonferenzen (S. 289-296)

Am 21. Juni hat der Vorsitzende des « Consilium » einen Brief über verschiedene Aspekte der liturgischen Reform and die Vorsitzenden der Bischofskonferenzen gesandt. Die Arbeiten im Bereich der Orientierung der liturgischen Bewegung und in der Vorbereitung neuer liturgischer Bücher haben die letzten drei Dokumente beeinflusst. Der Heilige Vater hat vor kurzer Zeit sein Gutachten und seine Befriedigung über diese Arbeiten ausgesprochen. Einige neue Riten sind zu verzeichnen: das Erwachsenenkatechumenat sowie die Beerdigung der Erwachsenen wurden *ad experimentum* erlaubt. Andere werden in Kürze dieselbe Erlaubnis erhalten: Kindertaufe, Eheschliessung, Präfationen, neue eucharistische Gebete. Es ist jedoch notwendig, dass die liturgischen Kommissionen der verschiedenen Länder zusammenarbeiten um die Riten zu bestimmen und sie den verschiedenen Situationen anzupassen. Weiterhin müssen die liturgischen Kommissionen die Resultate ihrer Versuche der höheren Instanz vorlegen. Eine neue Aufgabe ist ihnen zu gleicher Zeit anvertraut: sie müssen die Versuche leiten und organisieren und willkürliche und eigenmächtige Versuche verhindern.

### Arbeiten der Bischofskonferenzen (S. 298-299)

Diese Seiten beziehen sich auf Versuche und Urteile über die liturgische Reform, die aus Burundi, Japan, Neu Guinea und Mexico eingegangen sind.

### Beantwortung von Zweifelsfällen (S. 300-304)

Die zweite Anordnung lässt einige Fragen offen:
Ist es erlaubt, den Segen am Ende der Messe zu singen?
Besteht noch die Verpflichtung, die Finger über dem Kelch zu purifizieren?
Wie kann man die Matutin der Sonntage gestalten?

# INSTRUCTIO
# DE CULTU MYSTERII EUCHARISTICI

## Prooemium

### 1. *Recentiora Ecclesiae documenta de mysterio eucharistico.*

Eucharisticum mysterium sacrae Liturgiae, immo totius christianae vitae, est vere centrum. Quare Ecclesia, a Spiritu Sancto edocta, studet in dies illud magis pervestigare atque impensius de eo vivere.

Nostris temporibus sacrosanctum Concilium Vaticanum II varias rationes non parvi momenti huius mysterii proposuit.

Per Constitutionem de sacra Liturgia, quibusdam rebus de natura et momento Eucharistiae in mentem revocatis,[1] normas statuit de recognoscendis ritibus sacrosancti Missae sacrificii, ut huius mysterii celebratio actuosam ac plenam participationem foveret fidelium;[2] insuper usum ampliavit concelebrationis et communionis sub utraque specie.[3]

In Constitutione de Ecclesia intimam necessitudinem exposuit quae inter Eucharistiam et mysterium Ecclesiae intercedit.[4] In aliis demum documentis pluries extulit momentum mysterii eucharistici in vita fidelium,[5] necnon eius vim ad illustrandum sensum operis humani totiusque naturae creatae quatenus in eo « naturae elementa, ab hominibus exculta, in Corpus et Sanguinem gloriosum convertuntur ».[6]

[1] Cfr. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* nn. 2, 41, 47: *A.A.S.,* 56 (1964) pp. 97-98, 111, 113.

[2] Cfr. Ibid., nn. 48-54, 56: *A.A.S.,* 56 (1964) pp. 113-115.

[3] Cfr. Ibid., nn. 55, 57: *A.A.S.,* 56 (1964) pp. 115-116.

[4] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium,* nn. 3, 7, 11, 26, 28, 50: *A.A.S.,* 57 (1965) pp. 6, 9-11, 15-16, 31-32, 33-36, 55-57.

[5] Cfr. Decr. de Oecumenismo, *Unitatis redintegratio,* nn. 2, 15: *A.A.S.,* 57 (1965) pp. 91-92, 101-102; Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, *Christus Dominus,* nn. 15, 30: *A.A.S.,* 58 (1966) pp. 679-680, 688-689; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* nn. 2, 5-8, 13-14, 18: *A.A.S.,* 58 (1966) pp. 991-993, 997-1005, 1011-1014, 1018-1019.

[6] Cfr. Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis, *Gaudium et spes,* n. 38: *A.A.S.,* 58 (1966) pp. 1055-1056.

Ad has non paucas a sacrosancto Concilio edictas sententias viam paraverat Pius Pp. XII imprimis Litteris Encyclicis *Mediator Dei.*[7] Summus vero Pontifex Paulus Pp. VI, Litteris Encyclicis *Mysterium Fidei*[8] in memoriam revocavit momentum quarundam partium doctrinae de Eucharistia, praesertim de reali Christi praesentia et cultu etiam extra Missam huic Sacramento debito.

2. *Necessitas totam doctrinam horum documentorum simul prae oculis habendi.*

Propterea his ultimis temporibus nonnullae rationes traditae doctrinae de hoc mysterio impensius in Ecclesia passim considerantur et novo ardore pietati fidelium proponuntur, cooperantibus etiam varii generis studiis et inceptis, liturgicis praesertim et biblicis.

Necesse ergo est ut a tota doctrina horum documentorum normae practicae desumantur quibus ostendatur quomodo populus christianus erga hoc mysterium se gerere debeat ad illam cognitionem et sanctitatem assequendam quam Concilium Ecclesiae proposuit.

Interest enim ut mysterium eucharisticum illa qua par est claritate, sub diversis eiusdem rationibus plene consideratum, ob oculos fidelium resplendeat et rationes quae, secundum Ecclesiae doctrinam, inter huius mysterii aspectus obiective intercedere noscuntur, etiam in vita et mente fidelium foveantur.

3. *Praecipua capita doctrinae in his documentis notanda.*

Inter principia ad doctrinam spectantia, quae in praedictis documentis Ecclesiae de mysterio eucharistico dignoscuntur, sequentia notare iuvabit, utpote quae afficiant habitum populi christiani erga hoc mysterium, et ideo ad finem huius Instructionis directe spectent.

*a*) « Dei Filius, in natura humana sibi unita, morte et resurrectione sua mortem superando, hominem redemit et in novam creaturam transformavit (cfr. *Gal.* 6, 15; 2 *Cor.* 5, 17). Communicando enim Spiritum suum, fratres suos, ex omnibus gentibus convocatos, tam-

[7] *A.A.S.*, 39 (1947) pp. 547-572; cfr. Allocut. iis qui Conventui internationali de Liturgia Pastorali, Assisii habito, interfuerunt, 22 sept. 1956: *A.A.S.*, 48 (1956) pp. 715-724.

[8] *A.A.S.*, 57 (1965) pp. 753-774.

quam corpus suum mystice constituit. In corpore illo vita Christi in credentes diffunditur, qui Christo passo atque glorificato, per sacramenta arcano ac reali modo uniuntur ».[9]

Ideo « Salvator noster, in Cena novissima, qua nocte tradebatur, Sacrificium eucharisticum corporis et sanguinis sui instituit, quo sacrificium Crucis in saecula, donec veniret, perpetuaret, atque adeo Ecclesiae dilectae Sponsae memoriale concrederet mortis et resurrectionis suae: sacramentum pietatis, signum unitatis, vinculum caritatis, convivium paschale, in quo Christus sumitur, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur ».[10]

Unde Missa, sive Cena dominica, est insimul et inseparabiliter:

— sacrificium, quo sacrificium Crucis perpetuatur;

— memoriale mortis et resurrectionis Domini dicentis: « hoc facite in meam commemorationem » (*Lc.* 22, 19);

— sacrum convivium in quo, per communionem corporis et sanguinis Domini, populus Dei bona sacrificii paschalis participat, renovat novum foedus semel in sanguine Christi a Deo cum hominibus factum, ac in fide et spe convivium eschatologicum in regno Patris praefigurat et praevenit, mortem Domini annuntians « donec veniat ».[11]

*b*) In Missa ergo sacrificium et sacrum convivium ita ad idem mysterium pertinent, ut arctissimo vinculo alterum cum altero cohaereat.

Nam Dominus in ipso sacrificio Missae immolatur cum « sacramentaliter incipit praesens adesse tamquam spiritualis fidelium alimonia sub speciebus panis et vini ».[12] Et eo fine Christus sacrificium hoc Ecclesiae concredidit ut fideles illud et spiritualiter, per fidem et caritatem, et sacramentaliter, per sacrae communionis convivium, participent. Participatio vero Cenae dominicae semper est communio cum Christo sese Patri pro nobis in sacrificium offerente.[13]

[9] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 7: *A.A.S.*, 57 (1965) p. 9.

[10] Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 47: *A.A.S.*, 56 (1964) p. 113.

[11] Cfr. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 6, 10, 47, 106: *A.A.S.*, 56 (1964) pp. 100-102, 113, 126; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 4: *A.A.S.*, 58 (1966) pp. 995-997.

[12] Paulus VI, Litt. Encycl. *Mysterium Fidei*: *A.A.S.*, 57 (1965) p. 762.

[13] Cfr. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 (1947) pp. 564-566.

*c*) Celebratio eucharistica, quae fit in Missa, est actio non solum Christi, sed etiam Ecclesiae. In ea enim Christus, incruente per saecula perpetuans sacrificium in cruce peractum,[14] seipsum Patri in salutem mundi ministerio sacerdotum offert.[15] Ecclesia vero, sponsa et ministra Christi, una cum ipso munere fungens sacerdotis et hostiae, eum Patri offert et simul seipsam totam offert cum eo.[16]

Hoc modo Ecclesia, praesertim in magna prece eucharistica, una cum Christo, gratias agit Patri in Spiritu Sancto pro omnibus bonis quae in creatione et, praeclaro quidem modo, in mysterio paschali hominibus confert, illumque pro adventu regni sui obsecrat.

*d*) Unde nulla Missa, sicut et nulla actio liturgica, est actio mere privata, sed celebratio Ecclesiae, prout est societas diversis ordinibus et muneribus ordinata, in qua singuli secundum proprium ordinem et propria munera agunt.[17]

*e*) Celebratio Eucharistiae in Missae sacrificio vere est origo et finis cultus qui eidem extra Missam exhibetur. Non solum enim sacrae Species quae post Missam manent ex ipsa derivantur, sed insuper in eum praecipuum finem post Missam servantur, ut fideles, qui Missae interesse non possunt, per communionem sacramentalem, rectis dispositionibus susceptam, Christo eiusque sacrificio, quod in Missa celebratur, uniantur.[18]

Quare ipsum Sacrificium eucharisticum totius cultus Ecclesiae totiusque vitae christianae fons et culmen est.[19] Hoc Sacrificium gra-

[14] Cfr. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 47: *A.A.S.*, 56 (1964) p. 113.

[15] Cfr. Conc. Trid., Sess. XXII, Decr. de Missa, cap. I: *Denz.* 938 (1741).

[16] Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 11: *A.A.S.*, 57 (1965) pp. 15-16; Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 47-48: *A.A.S.*, 56 (1964) p. 113; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, nn. 2, 5: *A.A.S.*, 58 (1966) pp. 991-993, 997-999; Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 (1947) p. 552; Paulus VI, Litt. Encycl. *Mysterium Fidei*: *A.A.S.*, 57 (1965) p. 761.

[17] Cfr. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 26-28: *A.A.S.*, 56 (1964) p. 107; et infra n. 44.

[18] Cfr. infra n. 49.

[19] Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 11: *A.A.S.*, 57 (1965) pp. 15-16; Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 41: *A.A.S.*, 56 (1964) p. 111; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, nn. 2, 5, 6: *A.A.S.*, 58 (1966) pp. 991-993, 997-999,

tiarum actionis, propitiationis, impetrationis et laudis fideles plenius participant quando non solum sacram Victimam atque in ea seipsos Patri ex toto corde cum sacerdote offerunt, sed etiam eandem Victimam in sacramento recipiunt.

*f*) Nemo dubitare debet « quin omnes Christi fideles pro more in catholica Ecclesia semper recepto latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum ».[20] Etenim etiam in Sacramento quod reservatur ipse est adorandus [21] cum ibidem sit substantialiter praesens per illam conversionem panis et vini quae, iuxta Concilium Tridentinum,[22] aptissime transubstantiatio appellatur.

*g*) Mysterium ergo eucharisticum tota sua amplitudine considerandum est tam in ipsa celebratione Missae quam in cultu sacrarum Specierum, quae post Missam ad extensionem gratiae Sacrificii asservantur.[23]

Ex his principiis normae desumi debent de practica ordinatione cultus huic Sacramento etiam post Missam debiti deque eiusdem compositione cum recta ordinatione sacrificii Missae ad mentem praescriptionum Concilii Vaticani II et aliorum hac de re Apostolicae Sedis documentorum.[24]

999-1001; Decr. de Oecumenismo, *Unitatis redintegratio*, n. 15: *A.A.S.*, 57 (1965) pp. 101-102.

[20] Conc. Trid., Sess. XIII, Decr. de Eucharistia, cap. 5: *Denz.* 878 (1643).

[21] Cfr. Paulus VI, Litt. Encycl. *Mysterium Fidei*: *A.A.S.*, 57 (1965) pp. 769-770; Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 (1947) p. 569.

[22] Cfr. Sess. XIII, Decr. de Eucharistia, cap. 4: *Denz.* 877 (1642); can. 2: *Denz.* 884 (1652).

[23] Cfr. praedicta documenta quatenus omni de sacrificio Missae agunt; de utroque vero aspectu mysterii tractant Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 5, 18: *A.A.S.*, 58 (1966) pp. 997-999, 1018-1019; Paulus VI, Litt. Encycl. *Mysterium Fidei*: *A.A.S.*, 57 (1965) p. 754; Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 (1947) pp. 547-572; Allocut. iis qui Conventui internationali de Liturgia Pastorali, Assisii habito, interfuerunt, 22 sept. 1956: *A.A.S.*, 48 (1956) pp. 715-723.

[24] Cfr. Paulus VI, Litt. Encycl. *Mysterium Fidei*: *A.A.S.*, 57 (1965) pp. 769-772; Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 (1947) pp. 547-572; S. Congr. Rituum, Instructio *De Musica sacra*, 3 sept. 1958: *A.A.S.* 50 (1958) pp. 630-663; Instructio *Inter Oecumenici*, 26 sept. 1964: *A.A.S.*, 56 (1964) pp. 877-900.

4. *Sensus generalis praesentis Instructionis.*

Quare Summus Pontifex Paulus VI Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia delegato mandavit ut peculiarem Instructionem pararet, in qua practicae huiusmodi normae, praesentibus in rerum adiunctis utiliores, ederentur.

Oportet autem ut hae normae eo praesertim spectent, ut non solum prae oculis habeantur generaliora principia in catechesi de mysterio eucharistico populo tradenda, verum etiam ut magis intellegibilia fiant signa quibus Eucharistia, ut memoriale Domini, celebratur et prouti sacramentum permanens in Ecclesia colitur.

Quamvis enim in hoc mysterio illud excellens et singulare reperiatur quod ipse sanctitatis auctor in eo praesens est, tamen commune ei est cum ceteris sacramentis symbolum esse rei sacrae et invisibilis gratiae formam visibilem.[25] Unde eo securius et efficacius in mentem et vitam fidelium penetrabit quo aptiora et clariora erunt signa quibus celebratur et colitur.[26]

## Pars I

## DE QUIBUSDAM GENERALIORIBUS PRINCIPIIS PRAESERTIM ATTENDENDIS IN CATECHESI DE MYSTERIO EUCHARISTICO POPULO TRADENDA

5. *Requisita in pastoribus qui catechesim de hoc mysterio tradere debent.*

Ut mysterium eucharisticum mentem et vitam fidelium paulatim imbuat necessaria est apta catechesis.

Pastores vero, ut hanc debite tradere valeant, debent imprimis non solum integram doctrinam fidei, quae in documentis magisterii continetur, prae oculis habere, verum etiam in spiritum Ecclesiae hac in re corde et vita altius penetrare.[27] Tunc demum ea quae ex omnibus rationibus huius mysterii singulis in casibus fidelibus magis convenient facile decernent.

[25] Cfr. Conc. Trid., Sess. XIII, Decr. de Eucharistia, cap. 3: *Denz.* 876 (1639). Cfr. etiam S. Thomas Aq., *Summa Theol.* III, q. 60, a. 1.

[26] Cfr. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* nn. 33, 59: *A.A.S.,* 56 (1964) pp. 108-109, 116.

[27] Cfr. Ibid., nn. 14, 17-18: *A.A.S.,* 56 (1964) pp. 104, 105.

Prae oculis vero habitis iis quae in n. 3 dicta sunt, ad sequentia, praeter alia, peculiari modo attendendum erit.

6. *Mysterium eucharisticum centrum totius vitae Ecclesiae.*

Catechesis de mysterio eucharistico eo tendat oportet ut fidelibus inculcet celebrationem Eucharistiae vere centrum esse totius christianae vitae cum pro universa Ecclesia tum pro eiusdem Ecclesiae congregationibus localibus. Nam « cetera sacramenta, sicut et omnia ecclesiastica ministeria, et opera apostolatus, cum sacra Eucharistia cohaerent et ad eam ordinantur. In sanctissima enim Eucharistia totum bonum spirituale Ecclesiae continetur, ipse scilicet Christus, Pascha nostrum panisque vivus per carnem suam Spiritu Sancto vivificatam et vivificantem vitam praestans hominibus, qui ita invitantur et adducuntur ad seipsos, suos labores cunctasque res creatas una cum ipso offerendos ».[28]

Communio vitae divinae et unitas populi Dei, quibus Ecclesia subsistit, Eucharistia apte significatur et mirabiliter efficitur.[29] In ea culmen habetur et actionis qua Deus in Christo mundum sanctificat et cultus quem homines Christo et per ipsum Patri in Spiritu Sancto exhibent;[30] eiusque celebratio « summe eo confert ut fideles vivendo exprimant et aliis manifestent mysterium Christi et genuinam verae Ecclesiae naturam ».[31]

7. *Mysterium eucharisticum centrum Ecclesiae localis.*

Per Eucharistiam « continuo vivit et crescit Ecclesia. Haec Christi Ecclesia vere adest in omnibus legitimis fidelium congregationibus localibus, quae pastoribus suis adhaerentes, et ipsae in Novo Testamento ecclesiae vocantur. Hae sunt enim loco suo populus novus a Deo vocatus, in Spiritu Sancto et in plenitudine multa (cfr. *I Thess.* 1, 5).

[28] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* n. 5: *A.A.S.*, 58 (1966) p. 997.

[29] Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium,* n. 11: *A.A.S.*, 57 (1965) pp. 15-16; Decr. de Oecumenismo. *Unitatis redintegratio,* nn. 2, 15: *A.A.S.*, 57 (1965) pp. 91-92, 101-102.

[30] Cfr. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 10: *A.A.S.*, 56 (1964) p. 102.

[31] Ibid., n. 2: *A.A.S.*, 56 (1964) pp. 97-98; cfr. etiam n. 41: *A.A.S.*, 56 (1964) p. 111.

In eis praedicatione Evangelii Christi congregantur fideles et celebratur mysterium Cenae Domini, " ut per escam et sanguinem Domini corporis fraternitas cuncta copuletur ".[32] In quavis altaris communitate, sub Episcopi sacro ministerio »,[33] vel sacerdotis qui Episcopi vices gerit[34] « exhibetur symbolum illius caritatis et " unitatis Corporis mystici, sine qua non potest esse salus ".[35] In his communitatibus, licet saepe exiguis et pauperibus, vel in dispersione degentibus, praesens est Christus, cuius virtute consociatur una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia. Etenim " non aliud agit participatio corporis et sanguinis Christi, quam ut in id quod sumimus transeamus "[36] ».[37]

8. *Mysterium eucharisticum et unitas christianorum.*

Praeter ea quae communitatem ecclesialem singulosque fideles respiciunt, pastores ad eam etiam doctrinae partem sedulo attendant, qua Ecclesia docet per memoriale Domini, secundum ipsius voluntatem celebratum, unitatem omnium in ipsum credentium significari et effici.[38]

Ad normam Decreti de Oecumenismo[39] Concilii Vaticani II, fideles adducantur ad rectam aestimationem bonorum quae servantur in traditione eucharistica qua fratres aliarum confessionum christianarum Cenam dominicam celebrare consueverunt. Dum enim « in sancta Cena mortis et resurrectionis Domini memoriam faciunt, vitam in Christi communione significari profitentur atque gloriosum eius adventum expectant ».[40] Qui autem sacramentum Ordinis servaverunt, in celebratione Eucharistiae « cum Episcopo uniti accessum ad Deum Patrem habentes per Filium Verbum incarnatum, passum et glorificatum, in effusione Sancti Spiritus, communionem cum sanctissima Trinitate conse-

[32] Oratio mozarabica: *PL* 96, 759 B.

[33] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 26: *A.A.S.*, 57 (1965) p. 31.

[34] Cfr. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 42: *A.A.S.*, 56 (1964) pp. 111-112.

[35] Cfr. S. Thomas Aq., *Summa Theol.* III, q. 73, a. 3.

[36] S. Leo M., *Serm.* 63, 7: *PL* 54, 357 C.

[37] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 26: *A.A.S.*, 57 (1965) pp. 31-32.

[38] Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, nn. 3, 7, 11, 26: *A.A.S.*, 57 (1965) pp. 6, 9-11, 15-16, 31-32; Decr. de Oecumenismo, *Unitatis redintegratio*, n. 2: *A.A.S.*, 57 (1965) pp. 91-92.

[39] Cfr. Ibid., nn. 15 et 22: *A.A.S.*, 57 (1965) pp. 101-102, 105-106.

[40] Ibid., n. 22: *A.A.S.*, 57 (1965) p. 106.

quuntur, " divinae consortes naturae " (*2 Pt.* 1, 4) effecti. Proinde per celebrationem Eucharistiae Domini in his singulis ecclesiis, Ecclesia Dei aedificatur et crescit, et per concelebrationem communio earum manifestatur ».[41]

Maxime in celebratione mysterii unitatis decet omnes christianos dolore affici de divisionibus quibus invicem separantur. Orationes itaque apud Deum fundant, ut universi Christi discipuli altius in dies Eucharistiae mysterium ad veram ipsius mentem percipiant illudque ita celebrent ut, Christi corporis participes effecti, unum corpus efficiant (cfr. *1 Cor.* 10, 17) « eisdem nexibus compactum quibus ipse illud constitutum voluit ».[42]

9. *Diversi modi praesentiae Christi.*

Ad penitiorem intellegentiam eucharistici mysterii assequendam instruantur fideles etiam circa modos praecipuos quibus ipse Dominus Ecclesiae suae, in celebrationibus liturgicis, praesens adest.[43]

Praesens semper adest in coetu fidelium in suo nomine congregato (cfr. *Mt.* 18, 20). Praesens etiam adest in verbo suo, siquidem ipse loquitur dum sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur.

In eucharistico vero Sacrificio praesens est cum in ministri persona « idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit »,[44] tum, ac quidem maxime, sub speciebus eucharisticis.[45] In illo enim Sacramento, modo singulari, adest totus et integer Christus, Deus et homo, substantialiter et continenter. Haec praesentia Christi sub Speciebus « realis dicitur non per exclusionem, quasi aliae reales non sint, sed per excellentiam ».[46]

10. *De nexu inter liturgiam verbi et liturgiam eucharisticam.*

Pastores igitur « fideles sedulo doceant de integra Missa participanda », intimam rationem illustrando quae inter liturgiam verbi et

[41] Ibid., n. 15: *A.A.S.,* 57 (1965) p. 102.

[42] Paulus VI, Litt. Encycl. *Mysterium Fidei*: *A.A.S.*, 57 (1965) p. 773.

[43] Cfr. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 7: *A.A.S.,* 56 (1964) pp. 100-101.

[44] Conc. Trid., Sess. XXII, Decr. de Missa, cap 2: *Denz.* 940 (1743).

[45] Cfr. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 7: *A.A.S.,* 56 (1964) pp. 100-101.

[46] Paulus VI, Litt. Encycl. *Mysterium Fidei*: *A.A.S.*, 57 (1965) p. 764.

celebrationem Cenae Domini intercedit, ita ut clare percipiant ex his unum actum cultus effici.[47] Nam « verbi praedicatio requiritur ad ipsum ministerium sacramentorum, quippe quae sint sacramenta fidei, quae de verbo nascitur et nutritur ».[48] Hoc praecipue dicendum est de Missarum celebratione in qua liturgiae verbi propositum est intimum nexum inter annuntiationem auditionemque verbi et mysterium eucharisticum peculiari modo fovere.[49]

Fideles igitur verbum Dei audientes agnoscant eius mirabilia, quae annuntiantur, fastigium in mysterio paschali attingere, cuius memoriale in Missa sacramentaliter celebratur. Hoc modo, verbum Dei suscipientes, eoque nutriti, fideles in gratiarum actione ad fructuosam participationem mysteriorum salutis inducuntur. Ita pane vitae e mensa tum verbi Dei tum corporis Christi Ecclesia nutritur.[50]

11. *De sacerdotio communi et de sacerdotio ministeriali in celebratione Eucharistiae.*

Illa vero actuosa et communitatis propria participatio eo magis conscia ac fructuosior erit, quo fideles locum qui ad ipsos spectat in coetu liturgico atque partes ab ipsis in actione eucharistica agendas clarius agnoscant.[51]

In catechesi proinde explanetur doctrina de regali sacerdotio, quo fideles per regenerationem et Spiritus Sancti unctionem consecrati sunt.[52]

Exinde ulterius illustrentur sive munus sacerdotii ministerialis in celebratione Eucharistiae, quod a sacerdotio communi fidelium essentia

[47] Cfr. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 56: *A.A.S.*, 56 (1964) p. 115.

[48] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 4: *A.A.S.*, 58 (1966) pp. 995-997.

[49] Cfr. Ibid., n. 4: *A.A.S.*, 58 (1966) pp. 995-997; cfr. etiam n. 3 huius Instructionis.

[50] Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. de divina Revelatione, *Dei Verbum*, n. 21: *A.A.S.*, 58 (1966) pp. 827-828.

[51] Cfr. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 14, 26, 30, 38: *A.A.S.*, 56 (1964) pp. 104, 107, 108, 110.

[52] Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 10: *A.A.S.*, 57 (1965) pp. 14-15; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, nn. 2: *A.A.S.*, 58 (1966) pp. 991-993; Paulus VI, Litt. Encycl. *Mysterium Fidei*: *A.A.S.*, 57 (1965) p. 761.

et non solum gradu differt,[53] sive partes quae ab aliis ministerium aliquod implentibus aguntur.[54]

12. *In quo consistat actuosa participatio Missae.*

Explanetur igitur, omnes qui ad Eucharistiam congregantur esse illam plebem sanctam, quae una cum ministris in sacra actione partem habet. Solus quidem sacerdos, prout Christi personam gerit, panem et vinum consecrat. Actio tamen fidelium in Eucharistia in eo est posita ut memores passionis, resurrectionis et gloriae Domini, gratias Deo agant, et immaculatam hostiam non tantum per sacerdotis manus, sed etiam una cum ipso offerant; et, per susceptionem corporis Domini, communio illorum cum Deo, et inter se, ad quam participatio sacrificii Missae ducere debet, perficiatur.[55] Nam perfectior Missae participatio habetur cum ipsi, rite dispositi, in ipsa Missa sacramentaliter corpus Domini sumunt, obtemperantes verbis ipsius dicentis: « Accipite et manducate ».[56]

Hoc autem Sacrificium, sicut ipsa passio Christi, etsi pro omnibus offertur, tamen « effectum non habet nisi in illis qui passioni Christi coniunguntur per fidem et caritatem ... Illis tamen prodest plus vel minus, secundum modum devotionis eorum ».[57]

Quae omnia ita fidelibus illustrentur, ut exinde ipsam Missam tum intimis animi sensibus, tum ritibus externis actuose participent ad normam principiorum statutorum a Constitutione de sacra Liturgia,[58] quae amplius definita sunt per Instructionem *Inter Oecumenici* diei 26 septembris 1964, per Instructionem *Musicam sacram* diei 5 martii 1967,[59] et per Instructionem *Tres abhinc annos* diei 4 maii 1967.

[53] Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium,* n. 10: *A.A.S.*, 57 (1965) pp. 14-15; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* nn. 2, 5: *A.A.S.*, 58 (1966) pp. 991-993, 997-999.

[54] Cfr. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* nn. 28-29: *A.A.S.*, 56 (1964) pp. 107-108.

[55] Cfr. Ibid., nn. 48, 106: *A.A.S.*, 56 (1964) pp. 113-126.

[56] Cfr. Ibid., n. 55: *A.A.S.*, 56 (1964) p. 115.

[57] S. Thomas Aq., *Summa Theol.* III, q. 79, a. 7, ad 2.

[58] Cfr. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* nn. 26-32: *A.A.S.*, 56 (1964) pp. 107-108.

[59] Cfr. S. Congr. Rituum, Instructio *Musicam sacram,* 5 martii 1967: *A.A.S.*, 59 (1967) pp. 300-320.

13. *De consectariis celebrationis Eucharistiae in vita cotidiana fidelium.*

Fideles moribus et vita tenere debent quod in celebratione Eucharistiae fide et sacramento perceperunt. Studeant ergo universam suam vitam in fortitudine cibi caelestis gratanter peragere participantes mortem et resurrectionem Domini. Itaque postquam Missam participaverit, unusquisque sit « sollicitus facere bona opera et placere Deo et conversari recte, studiosus Ecclesiae, faciens quod didicit et proficiens in pietate »,[60] mundum spiritu christiano imbuere sibi proponens, et etiam « in omnibus, in media quidem humana consortione », Christi testis effici.[61]

Nulla etenim « communitas christiana aedificatur nisi radicem cardinemque habeat in sanctissimae Eucharistiae celebratione, a qua ergo omnis educatio ad spiritum communitatis incipienda est ».[62]

14. *De catechesi Missae pueris tradenda.*

Ii qui puerorum institutionem religiosam curant, praesertim vero parentes, parochus et magistri, dum eos in cognitionem mysterii salutis gradatim introducunt,[63] curent ut debitum tribuant momentum catechesi de Missa. Catechesis circa Eucharistiam puerorum aetati et ingenio sane accommodata eo tendere debet, ut per praecipuos ritus et preces tradatur Missae significatio, etiam ad vitae Ecclesiae participationem quod attinet.

Haec omnia prae oculis habeantur cum agitur peculiari ratione de

[60] Hippolytus, *Traditio Apostolica,* 21: ed. B. Botte, 1963, pp. 58-59; Cfr. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* nn. 9, 10: *A.A.S.,* 56 (1964) pp. 101-102; Decr. de apostolatu laicorum, *Apostolicam actuositatem,* n. 3: *A.A.S.,* 58 (1966) pp. 839-840; Decr. de activitate missionali Ecclesiae, *Ad Gentes divinitus,* n. 39: *A.A.S.,* 58 (1966) pp. 986-987; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* n. 5: *A.A.S.,* 58 (1966) pp. 997-999.

[61] Cfr. Conc. Vat. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis, *Gaudium et spes,* n. 43: *A.A.S.,* 58 (1966) p. 1063.

[62] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* n. 6: *A.A.S.,* 58 (1966) p. 1000.

[63] Cfr. Conc. Vat. II, Decl. de educatione christiana, *Gravissimum educationis,* n. 2: *A.A.S.,* 58 (1966) pp. 730-731.

pueris ad primam communionem praeparandis, ita ut prima communio revera appareat tamquam plena corpori Christi insertio.[64]

15. *Catechesis de Missa initium sumat a ritibus et precibus.*

Oecumenica Tridentina Synodus praescribit pastoribus, ut frequenter, « vel per se vel per alios, ex his quae in Missa leguntur aliquid exponant, atque inter cetera, sanctissimi huius Sacrificii mysterium aliquod declarent ».[65]

Pastores igitur fideles ad hoc mysterium fidei plene intellegendum idonea catechesi manu ducant, quae a mysteriis anni liturgici et a ritibus precibusque in celebratione occurrentibus initium capiat, ita ut eorum sensum, praesertim magnae precis eucharisticae, illustrent et ad mysterium quod significant et perficiunt intime percipiendum adducant.

## Pars II

## DE CELEBRATIONE MEMORIALIS DOMINI

### I. Quaedam normae generales de ordinanda celebratione memorialis Domini in communitate fidelium.

16. *Unitas communitatis in celebratione manifestanda.*

Quia propter baptismum « non est Iudaeus neque Graecus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina », sed omnes unum sunt in Christo Iesu (cfr. *Gal.* 3, 28), coetus qui Ecclesiae naturam in Eucharistia plenius manifestat, ille est quo fideles cuiusvis generis, aetatis et condicionis simul inter se coniunguntur.

Huius tamen communitatis unitas, quae ex uno pane oritur quem omnes participant (cfr. *1 Cor.* 10, 17), est hierarchico modo ordinata, eaque de causa exigit ut « quisque, sive minister, sive fidelis, munere suo fungens, solum et totum id agat, quod ad ipsum ex rei natura et normis liturgicis pertinet ».[66]

[64] Cfr. Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* n. 5: *A.A.S.*, 58 (1966) pp. 997-998.

[65] Sess. XXII, Decr. de Missa, cap. 8: *Denz.* 946 (1749).

[66] Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 28: *A.A.S.*, 56 (1964) p. 107.

Cuius unitatis praeclarum exstat exemplum « in plenaria et actuosa participatione totius plebis sanctae Dei ... in eadem Eucharistia, in una oratione, ad unum altare cui praeest Episcopus a suo presbyterio et ministris circumdatus ».[67]

## 17. *Vitanda dispersio communitatis fidelium eiusque distractio ad diversa.*

In celebrationibus liturgicis vitanda est communitatis dispersio et distractio ad diversa. Quare cavendum est, ne in eadem ecclesia duae celebrationes liturgicae simul habeantur, quae attentionem populi ad diversa trahant.

Haec imprimis dicenda sunt de celebratione Eucharistiae. Quare illa dispersio, quae celebrationibus Missarum eodem tempore in eadem ecclesia fieri solet, sedulo vitetur diebus dominicis et festis de praecepto, cum Missa pro populo celebratur.

Quod quidem etiam aliis diebus, quantum fieri potest, servetur. Optima ratio ad hoc assequendum est, ad normam iuris, concelebratio sacerdotum qui eodem tempore Missam celebrare desiderant.[68]

Cavendum est etiam ne in eadem ecclesia eodemque tempore habeatur celebratio divini Officii in choro vel in communi aut sacra contio aut administratio baptismatis aut celebratio matrimonii, et Missa secundum horarium publicum alicuius ecclesiae pro populo celebrata.

## 18. *Sensus communitatis universalis et localis fovendus.*

In celebratione Eucharistiae sensus communitatis ita foveatur ut unusquisque uniri se sentiat cum fratribus in communione Ecclesiae tam localis quam universalis, immo quodammodo cum omnibus hominibus. Nam in sacrificio Missae Christus semetipsum offert pro totius mundi salute; et congregatio fidelium typus et signum est unitatis humani generis in Christo Capite.[69]

[67] Ibid., n. 41: *A.A.S.*, 56 (1964) p. 111; cfr. Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium,* n. 26: *A.A.S.*, 57 (1965) pp. 31-32.

[68] Cfr. n. 47 huius Instructionis.

[69] Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium,* n. 3: *A.A.S.*, 57 (1965) p. 6.

19. *Peregrini inserendi in celebrationem localem Eucharistiae.*

Fideles, qui Eucharistiae celebrationem extra suam paroeciam participant, sacrae actioni coniungantur ea forma qua communitas illius loci utitur.

Curae autem sit pastoribus, ut fideles ex aliis regionibus advenientes opportunis rationibus iuvent, ut coetui locali valeant se coniungere. Quod praesertim curandum est in ecclesiis magnarum urbium et in locis quo, feriarum causa, fideles plurimi conveniunt.

Ubi vero peregrini alius linguae vel exsules maiore numero versantur, curent pastores ut illis saltem interdum occasio praebeatur Missam participandi, quae iuxta eorum consuetudines celebretur. « Provideatur tamen, ut christifideles etiam lingua latina partes Ordinarii Missae quae ad ipsos spectant possint simul dicere vel cantare ».[70]

20. *Attente curandus modus quo celebrant ministri.*

Ad fovendam rectam ordinationem sacrae celebrationis atque actuosam fidelium participationem, ministri non tantum munus suum recte expleant, ad normam legum liturgicarum, sed ita se gerant ut eo ipso sensum rerum sacrarum insinuent.

Populus ius habet in Missa nutriri verbi Dei annuntiatione et explicatione. Proinde sacerdotes non solum homiliam quoties praescribitur aut expedit habeant, sed etiam curent ut ea quae tum ipsi quam ministri pro suo munere proferunt ita distincte dicant vel cantent, ut fideles illa clare percipiant et sensum eorum intellegant, immo ad responsionem et participationem sponte adducantur.[71] Ad hoc congruis exercitationibus praeparentur ministri, praesertim in seminario et in domibus religiosis.

21. *Canon Missae.*

*a*) In Missis cum populo etiam non concelebratis, licet sacerdoti celebranti, pro opportunitate, Canonem intellegibili voce proferre. In Missis autem in cantu licet ei illas partes Canonis cantare, quae iuxta

[70] Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 54: *A.A.S.*, 56 (1964) p. 115.

[71] Cfr. Ibid., n. 11: *A.A.S.*, 56 (1964) pp. 102-103.

« Ritum servandum in concelebratione Missae » cantari possunt, ad normam Instructionis *Tres abhinc annos* diei 4 maii 1967, n. 10.

*b*) In exscribendis verbis consecrationis servetur usus traditus illa imprimendi typis diversis ab universo textu, ut evidentius appareant.

22. *Transmissio Missae ope instrumenti radiophonici et televisifici.*

Ubi, ad mentem art. 20 Constitutionis de sacra Liturgia, Missa ope instrumenti radiophonici et televisifici tansmittitur, curent Ordinarii locorum ne oratio et participatio fidelium praesentium exinde turbentur; insuper celebratio tali prudentia et decore fiat, ut exemplar sit celebrationis sacri mysterii secundum leges instaurationis liturgicae.[72]

23. *De imaginibus photographicis in celebrationibus eucharisticis.*

Enixe curandum est ne ex more imprimendi imagines photographicas turbentur celebrationes liturgicae, praesertim Missarum. Ubi vero rationabilis causa exsistat, omnia magna cum discretione fiant et ad normas ab Ordinario loci statutas.

24. *Momentum dispositionis ecclesiae ad celebrationem recte ordinandam.*

« Domus orationis in qua sanctissima Eucharistia celebratur et servatur, fidelesque congregantur, et in qua praesentia Filii Dei Salvatoris nostri in ara sacrificali pro nobis oblati, in auxilium atque solatium fidelium colitur, nitida, orationi et sacris sollemnibus apta esse debet ».[73]

Sciant itaque pastores ipsam loci sacri congruam dispositionem ad rectam celebrationem atque actuosam fidelium participationem permultum conferre.

Qua de causa ad effectum deducantur regulae et normae per Instructionem *Inter Oecumenici* (art. 90-99) constitutae: de ecclesiis aedificandis et ad liturgiam instauratam aptandis, de altaribus exstruendis et

[72] Cfr. S. Congr. Rituum, Instructio *Musicam sacram*, 5 martii 1967, nn. 6, 8 et 11: *A.A.S.*, 59 (1967) pp. 302-303.

[73] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 5: *A.A.S.*, 58 (1966) p. 998.

ornandis, de sedibus pro celebrante et ministris apte locandis, de loco proprio ad sacras lectiones proferendas parando, de locis fidelium et scholae cantorum disponendis.

Imprimis altare maximum ita oportet collocari et exstrui, ut semper appareat signum ipsius Christi, locus in quo salutaria mysteria perficiuntur et congregationis fidelium veluti centrum, cui maxima debetur reverentia.

Cavendum est ne thesauri artis sacrae in aptandis ecclesiis dilapidentur. Si vero, ob instaurationem liturgicam, de iudicio Ordinarii loci, collatis consiliis peritorum et — si casus fert — de consensu eorum ad quos spectat, ii thesauri e locis in quibus nunc sunt removendi censeantur, id cum prudentia fiat, et ita ut etiam in novis locis modo operibus consentaneo et digno disponantur.

Meminerint quoque pastores materiam et formam vestium sacrarum, quae « potius nobilem intendant pulchritudinem quam meram sumptuositatem »,[74] ad dignitatem celebrationum liturgicarum valde conferre.

## II. Celebratio diebus dominicis et ferialibus

### 25. *Celebratio Eucharistiae die dominica.*

Quotiescumque communitas ad Eucharistiam celebrandam congregatur, mortem et resurrectionem Domini, in spe eius adventus gloriosi, annuntiat. Hoc tamen maxime manifestat congregatio diei dominicae, ea scilicet hebdomadae dies qua Dominus a mortuis resurrexit, et qua, ex apostolica traditione, modo peculiari mysterium paschale in Eucharistia celebratur.[75]

Ut autem fideles praecepto de sanctificatione diei festi ex animo obtemperent, et rationem intellegant ob quam Ecclesia eos ad Eucharistiam celebrandam qualibet dominica convocat, inde ab initio institutionis christianae ipsis proponatur et inculcetur dies dominica ut primordialis dies festus,[76] qua in unum congregati verbum Dei audiant et mysterium paschale participent.

[74] Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 124: *A.A.S.,* 56 (1964) p. 131.

[75] Cfr. Ibid., nn. 6 et 106: *A.A.S.,* 56 (1964) pp. 100, 126.

[76] Cfr. Ibid., n. 106: *A.A.S.,* 56 (1964) p. 126.

Immo inceptis faveatur, quae eo contendunt ut dies dominica « etiam fiat dies laetitiae et vacationis ab opere ».[77]

## 26. *Celebratio dominicalis circa Episcopum et in paroecia.*

Sensum communitatis ecclesialis, qui speciali modo in communi celebratione Missae diei dominicae nutritur et exprimitur, foveri decet cum circa Episcopum, praesertim in ecclesia cathedrali, tum in coetu paroeciali, cuius pastor vices Episcopi gerit.[78]

Praestat autem ut in celebratione dominicali totius populi actuosa participatio, quae cantu exprimitur, sedulo promoveatur, immo praestat ut praeferatur, quantum fieri potest, forma Missae in cantu.[79]

Praesertim diebus dominicis et festis celebrationes quae in aliis ecclesiis et oratoriis fiunt, cum celebrationibus ecclesiae paroecialis componi debent, ita ut adiumento sint actioni pastorali. Immo praestat ut parvae communitates religiosae non clericales aliaeque eiusdem generis, illae praesertim quae in paroecia operam praestant, illis diebus Missam participent in ecclesia paroeciali.

Circa horam et numerum Missarum celebrandarum in paroeciis, utilitas communitatis paroecialis prae oculis habenda est, nec numerus Missarum ita multiplicetur, ut in detrimentum cedat actionis pastoralis vere efficacis. Hoc fieret, exempli gratia, si ex multiplicato numero Missarum, ad singulas Missas solum parvae communitates fidelium convenirent in ecclesias quae multo plures capere possent; aut si, eadem de causa, sacerdotes ita labore obruerentur, ut solum cum magna difficultate ministerium suum explere possent.

## 27. *Missae pro coetibus particularibus.*

Ut unitas communitatis paroecialis, diebus dominicis et festis, in Eucharistia floreat, Missae pro coetibus particularibus, cuius generis sunt coetus consociationum, diebus potius ferialibus si fieri potest, habeantur. Quodsi in dies infra hebdomadam transferri nequeant, cu-

[77] Ibidem.

[78] Cfr. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 41-42: *A.A.S.*, 56 (1964) pp. 111-112; Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 28: *A.A.S.*, 57 (1965) pp. 33-36; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 5: *A.A.S.*, 58 (1966) pp. 997-999.

[79] Cfr. S. Congr. Rituum, Instructio *Musicam sacram*, 5 martii 1967, nn. 16 et 27: *A.A.S.*, 59 (1967) pp. 305 et 308.

randum est ut unitas communitatis paroecialis servetur, eo quod particulares coetus celebrationibus paroecialibus inseruntur.

28. *Missae diei dominicae et festi anticipatae ad vesperam diei antecedentis.*

Sicubi ex concessione Apostolicae Sedis permittitur ut vespere sabbati praecedentis satisfieri possit praecepto de Missa participanda die dominica, pastores sedulo doceant fideles de significatione huius concessionis, et curent ne sensus diei dominicae exinde aliquomodo obscuretur. Haec enim concessio eo tendit ut in hodiernis rerum adiunctis christifideles facilius diem resurrectionis Domini celebrare valeant.

Concessionibus aut consuetudinibus contrariis non obstantibus, haec Missa celebrari potest tantum vespere diei sabbati, horis ab Ordinario loci statuendis.

In his casibus celebretur Missa sicut in calendario pro die dominica assignatur, homilia et oratione fidelium minime exclusis.

Quae omnia dicenda sunt etiam de Missa quae, eadem de causa, ad vesperam pridie diei festi de praecepto alicubi celebrari permittitur.

Missa vespertina pridie Dominicam Pentecostes est hodierna Missa de vigilia cum *Credo*. Pariter Missa vespertina pridie diem Nativitatis Domini est Missa de vigilia celebrata more festivo cum paramentis albis, cum *Alleluia* et praefatione Nativitatis. Missa vero vespertina pridie Dominicam Resurrectionis non licet inchoari ante crepusculum aut certe non ante solis occasum. Haec Missa est semper Missa Vigiliae paschalis, quae, ratione suae specialis significationis in anno liturgico necnon in tota vita christiana, celebrari debet cum ritibus liturgicis sanctae noctis iuxta ordinem eiusdem Vigiliae.

Fideles qui praedicto modo diem dominicam aut festum de praecepto celebrare incipiunt vespere diei antecedentis, possunt ad sacram communionem accedere etsi mane iam communicaverunt. Qui vero « in Missa Vigiliae paschalis et in Missa in nocte Nativitatis Domini communicaverint, iterum ad communionem accedere possunt in secunda Missa Paschatis et in una ex Missis quae die Nativitatis Domini celebrantur ».[80] Item « fideles qui feria V in Cena Domini, in Missa Chrismatis, sese communicaverint, iterum ad sacram communionem accedere

[80] S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Oecumenici,* 26 sept. 1964, n. 60: *A.A.S.*, 56 (1964) p. 891.

possunt in Missa vespertina eiusdem diei », ad normam Instructionis *Tres abhinc annos* diei 4 maii 1967, n. 14.

29. *Missae diebus ferialibus celebratae.*

Fideles invitentur, ut diebus quoque ferialibus saepe, immo etiam cotidie, Missam participent.

Id praesertim commendatur quibusdam feriis quas speciali cura expedit celebrari, praesertim in Quadragesima et Adventu, item in festis minoribus Domini, in quibusdam festis beatae Mariae Virginis aut Sanctorum, quae praecipuo in honore sunt in Ecclesia universa aut particulari.

30. *Missae in conventibus ad vitam religiosam alendam.*

Valde congruit coetus seu conventus, qui ad fovendam vitam christianam vel apostolatum aut ad studia religiosa promovenda aguntur, itemque exercitia spiritualia varii generis, ita ordinentur, ut in celebratione eucharistica fastigium habeant.

## III. Communio fidelium

31. *Communio fidelium in Missa.*

Fideles sacramentali communione Eucharistiae celebrationem perfectius participant. Valde commendatur ut eam de more sumant in ipsa Missa et eo puncto temporis ab ipso ritu celebrationis praescripto, id est proxime post communionem sacerdotis celebrantis.[81]

Ut autem, etiam per signa, communio melius appareat participatio Sacrificii quod actu celebratur, curandum est ut fideles possint eam recipere hostiis in ipsa Missa consecratis.[82]

Est imprimis sacerdotis celebrantis communionem ministrare; neque debet Missam prosequi, nisi fidelium communione expleta. Alii vero

[81] Cfr. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 55: *A.A.S.,* 56 (1964) p. 115.

[82] Cfr. Ibid., n. 55: *A.A.S.,* 56 (1964) p. 115; *Missale Romanum,* Ritus servandus in celebratione Missae, 27 ian. 1965, n. 7.

sacerdotes vel diaconi, pro opportunitate, sacerdotem celebrantem adiuvent.[83]

32. *Communio sub utraque specie.*

Formam ratione signi pleniorem habet sacra communio cum fit sub utraque specie. In ea enim forma (firmis principiis a Concilio Tridentino statutis,[84] secundum quae totus et integer Christus ac verum Sacramentum sub qualibet specie sumitur) signum eucharistici convivii perfectius elucet, et clarius exprimitur voluntas qua novum et aeternum Testamentum in sanguine Domini ratum habetur, necnon ratio inter convivium eucharisticum et convivium eschatologicum in regno Patris (cfr. *Mt.* 26, 27-29).

Quare deinceps, de iudicio Episcoporum, et debita catechesi praemissa, communio calicis permittitur in sequentibus casibus, qui sive iam a iure anteriori[85] sive vi huius Instructionis conceduntur:

1) neophytis adultis in Missa quae baptismum subsequitur; confirmatis adultis in Missa suae confirmationis; baptizatis qui in Ecclesiae communionem recipiuntur;

2) sponsis in Missa sui matrimonii;

3) ordinatis in Missa suae ordinationis;

4) abbatissae in Missa suae benedictionis; virginibus in Missa suae consecrationis; professis in Missa suae primae aut renovatae religiosae professionis, dummodo vota intra Missam emittant aut renovent;

5) coadiutoribus missionariis laicis, in Missa qua modo publico mittuntur; necnon aliis, in Missa in qua missionem ecclesiasticam accipiunt;

6) in administratione Viatici, infirmo et omnibus astantibus, cum Missa ad normam iuris in domo infirmi celebratur;

7) diacono, subdiacono et ministris, officium suum in Missa pontificali vel sollemni implentibus;

8) cum concelebratio fit:

[83] Cfr. S. Congr. Rituum, Rubricae Breviarii et Missalis Romani, 26 iul. 1960, n. 502: *A.A.S.*, 52 (1960) p. 680.

[84] Cfr. Sess. XXI, Decr. de communione eucharistica, cap. 1-3: *Denz.* 930-932 (1726-1729).

[85] Cfr. Ritus servandus in distribuenda communione sub utraque specie, 7 martii 1965, n. 1.

*a*) omnibus qui in eadem concelebratione vero ministerio liturgico funguntur, etiam laicis, necnon omnibus seminariorum alumnis qui ei intersunt;

*b*) in eorum autem ecclesiis, etiam omnibus membris institutorum consilia evangelica profitentium atque aliarum societatum in quibus per religiosa vota aut oblationem aut promissionem Deo se devovent, praeterea omnibus qui in domo sodalium illorum institutorum et societatum die noctuque commorantur;

9) sacerdotibus qui magnis celebrationibus intersunt et celebrare vel concelebrare non possunt;

10) omnibus qui exercitiis spiritualibus vacant, in Missa quae, durantibus his exercitiis, specialiter pro eiusmodi coetu actuose participante celebratur; iis omnibus qui participant conventum alicuius commissionis pastoralis, in Missa quam in communi celebrant;

11) iis qui sub numeris 2 et 4 recensentur, in Missa suorum iubilaeorum;

12) patrino, matrinae, parentibus et coniugi necnon catechistis laicis baptizati adulti in Missa initiationis ipsius;

13) parentibus, familiaribus, necnon insignibus benefactoribus qui Missam neosacerdotis participant.

33. *Communio extra Missam.*

*a*) Fideles adducendi sunt ut in ipsa celebratione eucharistica communicent. Sacerdotes, vero, id petentibus iusta de causa [86] sacram communionem etiam extra Missam distribuere ne renuant: quod etiam horis postmeridianis fieri poterit de licentia Episcopi loci, ad normam litterarum Motu Proprio editarum *Pastorale Munus,* n. 4, vel de licentia Supremi Moderatoris Religionis, ad normam Rescripti *Cum admotae,* art. 1, n. 1.[87]

*b*) Cum communio horis praescriptis extra Missam distribuitur pro opportunitate praemitti potest brevis celebratio verbi Dei ad normam Instructionis *Inter Oecumenici* (nn. 37, 39).

*c*) Cum, deficiente copia sacerdotum, Missa celebrari nequit et sacra communio distribuitur etiam a ministro, qui ex indulto Apostolicae

[86] Cfr. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 (1947) pp. 565-566.
[87] Cfr. *A.A.S.*, 56 (1964) p. 7; *A.A.S.*, 59 (1967) p. 374.

Sedis hanc facultatem habeat, servetur ritus a competente auctoritate praescriptus.

34. *De modo ad communionem accedendi.*

*a*) Secundum Ecclesiae consuetudinem, communio dari potest fidelibus vel genuflexis vel stantibus. Unus alterve modus seligatur secundum normas a Conferentia Episcopali statutas, prae oculis habitis variis adiunctis, imprimis dispositione locorum et numero communicantium. Fideles libenter sequantur modum a pastoribus indicatum, ut communio vere sit signum fraternae unitatis inter omnes convivas eiusdem mensae Domini.

*b*) Cum fideles communicant genuflexi, non exigitur ab eis aliud signum reverentiae erga sanctissimum Sacramentum, quia ipsa genuflexio adorationem exprimit.

Cum autem communicant stantes, enixe commendatur ut, processionaliter accedentes, debitam reverentiam faciant ante susceptionem Sacramenti, loco et tempore opportuno, ne accessus et recessus fidelium perturbetur.

35. *Sacramentum paenitentiae et communio.*

Eucharistia fidelibus proponatur etiam « tamquam antidotum, quo liberemur a culpis cotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur » [88] eisque apta ratio ostendatur qua partibus paenitentialibus liturgiae Missae uti valeant.

« Communicare volenti revocandum est in memoriam... praeceptum: " Probet autem seipsum homo " (*1 Cor.* 1, 28). Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat ».[89] « Quod si urgeat necessitas ac copia confessari illi desit, actum perfectae contritionis prius eliciat ».[90]

Fideles instanter ad eum usum adducantur ut extra Missae celebra-

[88] Conc. Trid., Sess. XIII, Decr. de Eucharistia, cap. 2: *Denz.* 875 (1638); cfr. etiam Sess. XXII, Decr. de Missa, cap. 1-2: *Denz.* 938 (1740), 940 (1743).

[89] Conc. Trid., Sess. XIII, Decr. de Eucharistia, cap. 7: *Denz.* 880 (1646-1647).

[90] CIC, can. 859.

tionem, praesertim horis statutis, ad sacramentum paenitentiae accedant, ita ut eius administratio cum tranquillitate et ipsorum vera utilitate fiat, neve ipsi ab actuosa Missae participatione impediantur. Qui cotidie aut saepius communicare solent, instruantur ut aequis temporibus, pro singulorum condicione, ad sacramentum paenitentiae accedant.

36. *Communio in quibusdam rerum adiunctis sollemnioribus.*

Valde convenit ut fideles, quandocumque novo modo vel novo vitae statu in vinea Patris operari incipiunt, ad semetipsos Deo iterum devovendos et foedus cum eo renovandum, Sacrificium per communionem sacramentalem participent.

Hoc optime faciunt, exempli gratia: congregatio fidelium quando in nocte paschali vota baptismatis renovat; adulescentes quando pro sua aetate idem coram Ecclesia faciunt; sponsi quando sacramento matrimonii iunguntur; ii qui Deo se devovent quando religiosa vota nuncupant vel oblationem faciunt; fideles quando muneribus apostolatus se dedicant.

37. *Communio frequens et cotidiana.*

Cum « perspicuum sit ex frequenti seu cotidiana sanctissimae Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari; idcirco parochi, confessarii et concionatores ... christianum populum ad hunc tam pium et tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur ».[91]

38. *Oratio privata post communionem.*

Ex participatione corporis et sanguinis Domini, donum Spiritus tamquam aqua viva (cfr. *Io.* 7, 37-39) in singulos abundanter derivatur, dummodo èt sacramentaliter et spiritualiter sumatur, scilicet fide viva quae per dilectionem operatur.[92]

[91] S. Congr. Concilii, Decr. de quotidiana Ss. Eucharistiae sumptione, 20 dec. 1905, n. 6: *A.S.S.* 38 (1905-1906) pp. 401 s.; Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 (1947) p. 565.

[92] Cfr. Conc. Trid., Sess. XIII, Decr. de Eucharistia, cap. 8: *Denz.* 881 (1648).

Unio autem cum Christo, ad quem ipsum sacramentum ordinatur, non tantum tempore celebrationis eucharisticae procuranda est, sed ad totam vitam christianam protrahenda, ita ut christifideles, donum receptum continenter fide contemplantes, vitam cotidianam sub ductu Spiritus Sancti in gratiarum actione agant, et fructus uberiores caritatis afferant.

Quo autem facilius in hac gratiarum actione, quae in Missa modo praeclaro Deo exhibetur, permaneant, commendatur singulis qui sacra communione refecti sunt, ut per aliquod temporis spatium in oratione persistant.[93]

39. *Viaticum.*

Communio ad modum Viatici suscepta tamquam peculiare signum habenda est participationis mysterii, quod in sacrificio Missae celebratur, mortis scilicet Domini eiusque transitus ad Patrem. In ea, fidelis, in suo transitu ex hac vita, corpore Christi roboratus, pignore resurrectionis munitur.

Quare fideles, in periculo mortis, quavis ex causa illud oritur, sacrae communionis recipiendae praecepto tenentur;[94] pastores vero advigilare debent ne huius Sacramenti ministratio differatur, sed eo fideles adhuc plene sui compotes reficiantur.[95]

Etiamsi eadem die fideles sacra communione fuerint refecti, valde tamen suadendum est, ut in vitae discrimine adducti denuo communicent.

40. *Communio eorum qui in ecclesiam convenire non possunt.*

Decet eos qui impediuntur ne celebrationi eucharisticae communitatis intersint, Eucharistia sedulo refici, et hoc modo etiam eidem communitati unitos et fratrum caritate suffultos se sentiant.

Animarum pastores curent ut infirmis et aetate provectis, licet graviter non aegrotent neque mortis periculum eis immineat, frequenter, immo pro posse cotidie, praesertim tempore paschali, praebeatur copia Eucharistiam sumendi: quod fieri potest qualibet hora.

[93] Cfr. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 (1947) p. 566.
[94] Cfr. CIC, can. 864, 1.
[95] Cfr. CIC, can. 865.

41. *Communio sub specie vini tantum.*

In casu necessitatis, et de iudicio Episcopi, licet Eucharistiam sub specie tantum vini iis ministrare, qui eam sub specie panis sumere nequeunt.

In hoc casu licet, de iudicio Ordinarii loci, Missam celebrare ad infirmum.

Si vero Missa ad infirmum non celebratur, sanguis Domini in calice debite cooperto et in tabernaculo reposito post Missam servetur; ad infirmum vero ne deferatur, nisi in vasculo ita clauso, ut periculum effusionis omnino vitetur. In administrando autem Sacramento, singulis in casibus, aptior modus eligatur ex iis qui in distribuenda communione sub utraque specie proponuntur. Si, communione data, aliquid pretiosissimi sanguinis remanserit, a ministro sumatur, qui etiam debitas ablutiones perficiendas curet.

## IV. Eucharistiae celebratio in vita et ministerio Episcopi et presbyteri

42. *Celebratio Eucharistiae in vita et ministerio Episcopi.*

Eucharistiae celebratio modo peculiari exprimit naturam publicam et socialem actionum liturgicarum Ecclesiae « quae est unitatis sacramentum, scilicet plebs sancta sub Episcopis adunata et ordinata ».[96]

Quare « Episcopus, plenitudine sacramenti Ordinis insignitus, est oeconomus gratiae supremi sacerdotii, praesertim in Eucharistia, quam ipse offert vel offerri curat ... Omnis autem legitima Eucharistiae celebratio dirigitur ab Episcopo, cui officium commissum est cultum christianae religionis divinae Maiestati deferendi atque administrandi secundum praecepta Domini et Ecclesiae leges, eius particulari iudicio ulterius pro dioecesi determinatas ».[97] In celebratione Eucharistiae cui, actuose participante tota plebe sancta Dei, praeest Episcopus

[96] Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 26: *A.A.S.,* 56 (1964) p. 107.

[97] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium,* n. 26: *A.A.S.,* 57 (1965) pp. 31-32.

suo presbyterio et ministris circumdatus, habetur praecipua manifestatio Ecclesiae [98] hierarchice constitutae.

43. *Consentaneum est ut proprio munere fungentes presbyteri Eucharistiae celebrationem participent.*

In celebratione Eucharistiae etiam presbyteri ob speciale sacramentum, scilicet Ordinem, delegantur ad munus sibi proprium. Nam et ipsi « ut sacrorum ministri, praesertim in sacrificio Missae ... personam specialiter gerunt Christi ».[99] Unde consentaneum est, ratione signi, ut, munere suo secundum proprium ordinem fungentes,[100] id est Missam celebrantes aut concelebrantes nec tantum laicorum more communicantes, Eucharistiam participent.

44. *Celebratio cotidiana Missae.*

« In mysterio Sacrificii eucharistici, in quo munus suum praecipuum sacerdotes adimplent, opus nostrae redemptionis continue exercetur, et ideo enixe commendatur eius celebratio cotidiana, quae quidem etiam si praesentia fidelium haberi non possit, actus est Christi et Ecclesiae » [101] in quo sacerdos semper agit pro salute populi.

45. *Normae Ecclesiae fideliter observandae sunt in Missae celebratione.*

Praesertim in Eucharistiae celebratione, praeter supremam Ecclesiae auctoritatem et, ad normam iuris, Episcopum et Conferentias Episcopales, nemini licet, ne sacerdoti quidem, quidquam proprio marte in Liturgia addere, demere aut mutare.[102] Quare presbyteris cordi sit ita Eucharistiae celebrationi praesidere ut fideles sciant se participare

[98] Cfr. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 41: *A.A.S.,* 56 (1964) p. 111.

[99] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* n. 13: *A.A.S.,* 58 (1966) p. 1011; cfr. Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium,* n. 28: *A.A.S.,* 57 (1965) pp. 33-36.

[100] Cfr. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 28: *A.A.S.,* 56 (1964) p. 107.

[101] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* n. 13: *A.A.S.,* 58 (1966) pp. 1011-1012; cfr. Paulus VI, Litt. Encycl. *Mysterium Fidei*: *A.A.S.,* 57 (1965) p. 762.

[102] Cfr. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 22, § 3: *A.A.S.,* 56 (1964) p. 106.

non ritum privata auctoritate statutum,[103] sed cultum publicum Ecclesiae cuius moderatio Apostolis eorumque successoribus ab ipso Christo mandata est.

46. *Utilitas pastoralis praeferenda in seligendis variis formis celebrationis.*

« Advigilandum est ut in actione liturgica non solum observentur leges ad validam et licitam celebrationem, sed ut fideles scienter, actuose et fructuose eandem participent ».[104] Unde sacerdotes, inter celebrationis formas a iure permissas, eas in singulis casibus eligere satagant quae fidelium necessitati vel utilitati eorumque participationi magis consulere videantur.

47. *Concelebratio.*

Per Eucharistiae concelebrationem unitas sacrificii et sacerdotii opportune manifestatur, atque quoties fideles actuose participant, unitas populi Dei singulari modo apparet,[105] praesertim si praeest Episcopus.[106]

Concelebratio insuper fraterna presbyterorum vincula significat et firmat, quia « vi communis sacrae ordinationis et missionis presbyteri omnes inter se intima fraternitate nectuntur ».[107]

Quare, nisi utilitas fidelium (quae sedula pastorali sollicitudine semper consideranda est) hoc impediat, et integra manente cuique sacerdoti facultate Missam singularem celebrandi, praestat sacerdotes illo praeclaro modo Eucharistiam celebrare cum in communitatibus sacerdotum tum in coetibus qui statutis temporibus congregantur aliisque

[103] Cfr. S. Thomas Aq., *Summa Theol.* IIª-IIªᵉ, q. 93, a. 1.

[104] Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 11: *A.A.S.*, 56 (1964) pp. 102-103; cfr. etiam n. 48, ibid., p. 113.

[105] Cfr. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 57: *A.A.S.*, 56 (1964) pp. 115-116; S. Congr. Rituum, Decretum generale *Ecclesiae semper*, 7 martii 1965: *A.A.S.*, 57 (1965) pp. 410-412.

[106] Cfr. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 41: *A.A.S.*, 56 (1964) p. 111; Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 28: *A.A.S.*, 57 (1865) pp. 33-36: Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 7: *A.A.S.*, 58 (1966) pp. 1001-1003.

[107] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 28: *A.A.S.*, 57 (1965) p. 35; cfr. Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 8: *A.A.S.*, 58 (1966) pp. 1003-1005.

similibus adiunctis. Qui in communi vivunt vel eidem ecclesiae deserviunt, peregrinos sacerdotes ad concelebrationem suam libenti animo invitent.

Hinc superiores competentes faciliorem reddant, immo foveant concelebrationem, quoties necessitas pastoralis vel alia rationalibus causa aliud non exigit.

Facultas concelebrandi spectat etiam ad Missas principales in ecclesiis et oratoriis publicis ac semipublicis seminariorum, collegiorum et institutorum ecclesiasticorum, necnon religionum ac societatum clericorum in communi viventium sine votis. Ubi tamen magnus habetur numerus sacerdotum, superior competens concedere potest ut concelebratio etiam pluries eodem die fiat, sed temporibus successivis, vel in locis sacris diversis.

48. *Confectio panis ad concelebrationem.*

Si pro concelebratione, ad normam Ritus servandi in concelebratione Missae, n. 17, hostia maioris dimensionis conficitur, curandum est ut, iuxta morem traditum, tali sit forma et aspectu quae tantum mysterium maxime deceant.

## Pars III

## DE CULTU SANCTISSIMAE EUCHARISTIAE PROUT EST SACRAMENTUM PERMANENS

### I. Fines asservationis Eucharistiae et oratio coram sanctissimo Sacramento

49. *Fines asservationis Eucharistiae extra Missam.*

« Abs re non erit in mentem revocare primarium ac primigenium finem asservandarum in ecclesia sanctarum Specierum extra Missam esse administrationem Viatici; secundarios vero fines esse communionem diribendam extra Missam atque adorationem Domini nostri Iesu Christi sub eisdem Speciebus delitescentis ».[108] Etenim « sacrarum Spe-

[108] S. Congr. de Sacramentis, Instructio *Quam plurimum,* 1 oct. 1949: *A.A.S.,* 41 (1949) pp. 509-510; cfr. Conc. Trid., Sess. XIII, Decr. de Eucharistia,

cierum conservatio pro infirmis ... laudabilem induxit morem adorandi caelestem hanc dapem quae in templis reponitur. Qui quidem adorationis cultus valida firmaque ratione nititur »,[109] maxime quia fides in praesentiam realem Domini connaturaliter ad eiusdem fidei externam et publicam manifestationem conducit.

## 50. *Oratio coram sanctissimo Sacramento.*

Fideles vero, cum Christum in Sacramento praesentem colunt, meminerint hanc praesentiam a Sacrificio derivari atque ad communionem sacramentalem simul et spiritualem tendere.

Pietas ergo quae fideles impellit ut ad sanctam Eucharistiam se conferant, eos allicit ut mysterium paschale penitus participent et grato animo respondeant dono ipsius, qui per humanitatem suam continenter vitam divinam in membra Corporis sui infundit.[110] Apud Christum Dominum commorantes intima fruuntur familiaritate eius, atque coram eo cor effundunt pro se suisque omnibus, pro pace ac salute mundi orant. Cum Christo totam suam vitam Patri in Spiritu Sancto offerentes ex illo admirabili commercio hauriunt fidei, spei et caritatis augmentum. Sic ergo illas rectas dispositiones alunt quibus, qua par est devotione, memoriale Domini celebrare et panem illum nobis a Patre datum frequenter suscipere possint.

Studeant igitur fideles ut iuxta propriam vitae rationem Christum Dominum in Sacramento colant. Pastores vero in hoc eos exemplo ducant et verbis hortentur.[111]

## 51. *Accessus ad ecclesias facilis pateat fidelibus.*

Curent pastores ut omnes ecclesiae et oratoria publica, ubi sanctissima Eucharistia asservatur, saltem per plures horas tum mane tum sero pateant, ut facile coram sanctissimo Sacramento fideles precari valeant.

cap. 6: *Denz.* 879 (1645); S. Pius X, Decr. *Sacra Tridentina Synodus,* 20 dec. 1905: *Denz.* 1981 (3375).

[109] Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei: A.A.S.,* 39 (1947) p. 569.

[110] Cfr. Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* n. 5: *A.A.S.,* 58 (1966) pp. 997-999.

[111] Cfr. Ibid., n. 18: *A.A.S.,* 58 (1966) pp. 1018-1019.

## II. De loco sanctissimae Eucharistiae asservandae

### 52. *Tabernaculum.*

Ubi sanctissima Eucharistia ad normam iuris asservari potest, continenter seu habitualiter custodiri nequit nisi in uno tantum eiusdem ecclesiae altari seu loco.[112] Quare, de more, in singulis ecclesiis unicum tabernaculum habeatur. Illud vero solidum et inviolabile esse debet.[113]

### 53. *Sacellum pro asservatione sanctissimi Sacramenti.*

Locus ecclesiae vel oratorii quo Eucharistia in tabernaculo asservatur sit vere praecellens. Convenit ut sit simul idoneus precationi privatae, ita ut fideles facile et fructuose etiam privato cultu Dominum in Sacramento honorare non desinant.[114] Quare commendatur ut tabernaculum, quantum fieri potest, ponatur in sacello a media centrali aula ecclesiae seiuncto, praesertim in illis ecclesiis ubi matrimonia aut funera frequentius occurrunt, et in locis quae a multis ob thesauros artis et historiae invisuntur.

### 54. *Tabernaculum in medio altaris aut in alia ecclesiae parte.*

« Sanctissima Eucharistia asservetur in tabernaculo solido atque inviolabili in medio altaris maioris vel minoris, sed vere praecellentis posito, aut, iuxta legitimas consuetudines et in casibus particularibus ab Ordinario loci probandis, etiam in alia ecclesiae parte vere pernobili et rite ornata.

Licet Missam versus populum celebrare etiam si in altari exstat tabernaculum, parvum quidem, sed aptum ».[115]

[112] Cfr. CIC, can. 1268, § 1.

[113] Cfr. S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Oecumenici,* 26 sept. 1964, n. 95: *A.A.S.,* 56 (1964) p. 898; S. Congr. de Sacramentis, Instructio *Nullo unquam tempore,* 28 maii 1938, n. 4: *A.A.S.,* 30 (1938) pp. 199-200.

[114] Cfr. Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* n. 18: *A.A.S.,* 58 (1966) pp. 1018-1019; Paulus VI, Litt. Encycl. *Mysterium Fidei*: *A.A.S.,* 57 (1965) p. 771.

[115] S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Oecumenici,* 26 sept. 1964, n. 95: *A.A.S.,* 56 (1964) p. 898.

*55. Tabernaculum in altari ubi celebratur Missa cum frequentia populi.*

In celebratione Missae praecipui illi modi quibus Christus adest Ecclesiae suae [116] successive clarescunt, quatenus primo praesens apparet in ipso coetu fidelium, in suo nomine congregato; deinde vero in verbo suo, cum Scriptura legitur et explanatur; necnon in persona ministri; demum modo singulari sub speciebus eucharisticis. Unde, ratione signi, magis congruit naturae sacrae celebrationis ut in altari ubi Missa celebratur praesentia eucharistica Christi, quae fructus est consecrationis et ut talis apparere debet, non adsit, quantum fieri potest, iam ab initio Missae per asservationem sanctarum specierum in tabernaculo.

*56. Tabernaculum in aedificatione novarum ecclesiarum et in accommodatione ecclesiarum et altarium iam extantium.*

Decet ut principia in numeris 52 et 54 statuta probe prae oculis habeantur in aedificatione ecclesiarum novarum.

Accommodationes vero ecclesiarum aut altarium iam exstantium fieri non debent nisi ad normam n. 24 huius Instructionis.

*57. Modus indicandi praesentiam sanctissimi Sacramenti in tabernaculo.*

Attendendum est ut praesentia sanctissimae Eucharistiae in tabernaculo significetur fidelibus conopaeo vel alio medio apto a competenti auctoritate definito.

Secundum traditam consuetudinem, ut signum honoris qui Domino adhibetur, lampas iuxta tabernaculum perenniter ardeat.[117]

## III. De piis sacrisque exercitiis eucharisticis

58. Devotio tam privata quam publica erga altaris Sacramentum etiam extra Missam, secundum normas a legitima auctoritate et in praesenti Instructione statutas, enixe ab Ecclesia commendatur, cum Sacrificium eucharisticum totius vitae christianae fons et culmen sit.[118]

[116] Cfr. supra n. 9.

[117] Cfr. CIC, can. 1271.

[118] Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 11: *A.A.S.*, *57* (1965) pp. 15-16.

In huiusmodi piis sacrisque exercitiis ordinandis, attendendae sunt normae a Concilio Vaticano II statutae de ratione servanda inter Liturgiam et alias sacras actiones, quae ad eam non pertinent. Peculiari autem modo attendatur norma quae statuit: « ratione habita temporum liturgicorum, eadem exercitia ordinentur oportet, ut sacrae Liturgiae congruant, ab ea quodammodo deriventur et ad eam populum manuducant, utpote quae natura sua iisdem longe antecellat ».[119]

## IV. De processionibus eucharisticis

59. Populus christianus, in processionibus quibus Eucharistia per vias sollemni ritu cum cantu circumfertur, praesertim in festo Corporis Christi, publicum testimonium fidei et pietatis praebet erga hoc Sacramentum.

Ordinarii tamen loci est iudicare cum de opportunitate, in hodiernis rerum adiunctis, tum de loco et de ordinatione huiusmodi processionum, ut cum dignitate et sine damno reverentiae sanctissimo huic Sacramento debitae peragantur.

## V. De sanctissimae Eucharistiae expositione

60. Expositio sanctissimae Eucharistiae, sive cum pyxide sive cum ostensorio, mentem fidelium ad agnoscendam in ea miram Christi praesentiam pertrahit, et ad cordis communionem cum illo invitat. Quare, cultum ipsi in spiritu et veritate debitum, optime fovet.

Attendendum est ut, in huiusmodi expositionibus, cultus sanctissimi Sacramenti in sua ratione, quae cum Missa intercedit, in signis eluceat. Expedit proinde, quando expositio sollemnior est et protrahitur, ut fiat in fine Missae in qua hostia adorationi exponenda consecretur. Ipsa Missa terminetur *Benedicamus Domino,* omissa benedictione. In apparatu expositionis [120] ea omnia sedulo vitentur, quae aliquo modo obscurare possint desiderium Christi, qui sanctissimam Eucharistiam praecipue instituit ut nobis praesto sit in cibum, remedium et levamen.[121]

[119] Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 13: *A.A.S.*, 56 (1964) p. 103.

[120] Cfr. infra n. 62.

[121] Cfr. S. Pius X, Decr. *Sacra Tridentina Synodus,* 20 dec. 1905: *Denz.* 1981 (3375).

61. *Celebratio Missae coram sanctissimo Sacramento exposito prohibetur.*

Celebratio Missae, perdurante expositione sanctissimi Sacramenti, in eadem aula ecclesiae prohibetur, concessionibus aut traditionibus contrariis hucusque vigentibus non obstantibus, etiam speciali mentione dignis.

Nam, praeter rationes in n. 55 huius Instructionis allatas, celebratio mysterii eucharistici modo perfectiore includit illam communionem internam ad quam expositio intendit fideles adducere, et ideo tali subsidio non indiget.

Si expositio sanctissimi Sacramenti per unum vel plures dies subsequentes protrahitur, ipsa intermittenda est durante Missae celebratione, nisi forte in sacello ab aula expositionis separato Missa celebretur et aliqui saltem fideles in adoratione remaneant.

Sicubi ex interruptione antiquae consuetudinis contrariae admiratio fidelium oriatur, Ordinarius loci congruum statuat tempus, attamen non nimis longum, quo fideles doceantur, antequam norma ad usum deducatur.

62. *Quomodo ordinandus sit ritus expositionis.*

Si expositio brevis est, pyxis vel ostensorium ponatur super mensam altaris; si vero per longius tempus protrahitur, thronus adhiberi potest, in eminentiori loco positus; at caveatur ne sit nimis elevatus ac distans.

Durante expositione, omnia componenda sunt ut fideles orationi intenti, Christo Domino vacent.

Ad intimam orationem alendam, admittuntur lectiones ex sacra Scriptura cum homilia, aut breves exhortationes, quae ad meliorem aestimationem mysterii eucharistici inducant. Decet etiam fideles verbo Dei respondere cantando. Expedit ut aptis momentis sacrum silentium habeatur.

In fine expositionis impertitur benedictio cum sanctissimo Sacramento.

Si lingua vulgaris adhibetur, loco hymni *Tantum ergo,* ante benedictionem cantandi, adhiberi potest, de iudicio Conferentiae Episcopalis, alius cantus eucharisticus.

63. *Expositio sollemnior quotannis facta.*

In ecclesiis, in quibus Eucharistia habitualiter asservatur, quotannis fieri potest sollemnis sanctissimi Sacramenti expositio per aliquod tempus protracta, etsi non stricte continua, ut communitas localis hoc mysterium impensius meditetur et adoret.

Huiusmodi tamen expositio fiat tantum si congruus praevidetur fidelium concursus, de consensu Ordinarii loci et iuxta normas statutas.

64. *Expositio protracta.*

Pro gravi autem et generali aliqua necessitate, ab Ordinario loci imperari potest supplicatio coram sanctissimo Sacramento exposito per longius tempus protracta (quae potest esse stricte continua), in iis ecclesiis facienda, ad quas fideles frequentiores concurrunt.

65. *Interruptio expositionis.*

Ubi, deficiente congrua copia adoratorum, expositio sine intermissione fieri nequit, sanctissimum Sacramentum in tabernaculo recondere licet, horis antea statutis et pervulgatis, non tamen saepius quam bis in die, exempli gratia circa meridiem et nocturno tempore.

Haec autem repositio simpliciori modo et sine cantu fieri potest: sacerdos nempe, superpelliceo et stola indutus, post brevem adorationem sanctissimum Sacramentum in tabernaculo reponit. Simili modo, tempore statuto, fit denuo expositio: qua peracta, sacerdos, post brevem adorationem, recedit.

66. *Expositiones breves.*

Etiam breves sanctissimi Sacramenti expositiones, iuxta normas iuris habendae, ita ordinandae sunt ut in eis, ante benedictionem cum sanctissimo Sacramento, pro opportunitate congruum tempus tribuatur lectionibus verbi Dei, canticis, precibus et orationi aliquamdiu in silentio protractae.

Curent Ordinarii locorum ut huiusmodi expositiones sanctissimi Sacramenti semper et ubique debita cum reverentia fiant.

Expositio, quae unice fiat ad benedictionem post Missam impertiendam, prohibetur.

## VI. De congressibus eucharisticis

67. In congressibus eucharisticis, christifideles hoc sacrosanctum mysterium variis eius rationibus prae oculis habitis (cfr. n. 3 huius Instructionis), animo penitius cognoscere studeant. Illud autem celebrent secundum normas Concilii Vaticani II, ac venerentur oratione privatim protracta et piis exercitiis, praesertim in sollemniori processione, ita tamen ut omnes pietatis formae in sollemni celebratione Missae fastigium consequentur.

Perdurante conventu eucharistico totius saltem regionis, convenit ut aliquae ecclesiae adorationi continuae reserventur.

Praesentem Instructionem Summus Pontifex Paulus Pp. VI, in Audientia Em.mo Arcadio M. Card. Larraona, huius Sacrae Congregationis Praefecto, die 13 aprilis 1967 concessa, approbavit et auctoritate Sua confirmavit, et publici iuris fieri iussit, pariter statuens ut a die 15 augusti 1967, festo Assumptionis beatae Mariae Virginis, vigere incipiat.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Romae, die 25 maii 1967, in festo Ss.mi Corporis Christi.

Iacobus Card. Lercaro
*Archiepiscopus Bononiensis*
*Praeses Consilii ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia*

Arcadius M. Card. Larraona
*S. R. C. Praefectus*

✠ Ferdinandus Antonelli
*Archiep. tit. Idicren.*
*S. R. C. a Secretis*

# COMMENTARIUM

*« Instructio de cultu mysterii eucharistici » a peritis « Consilii » parata est, duobus annis impensi laboris. Necessitas huiusmodi documenti apparuit iam inchoante et praesertim progrediente instauratione liturgica.*

*Primum schema* Instructionis *in promptu erat mense octobri anni 1965; ultimum (11), mense aprili 1967 perpolitum est.*

*Hoc tempore pluries examinatum et refectum est, ope plurimorum Consultorum ex diversis regionibus, praesertim in re theologica et liturgica peritorum.*

Instructio *bis examinata est in sessione Relatorum coetuum a studiis et pariter bis Patribus « Consilii » subiecta est examinanda. Post eorum approbationem, examinata est a Dicasteriis, ad quae res pertinet. Die autem 2 maii 1967 a Beatissimo Patre definitive approbata est, et in festo « Corporis Christi », die 25 eiusdem mensis edita.*

*Commentarium instituitur a quibusdam « Consilii » Consultoribus, qui partem habuerunt in exarando documento, nempe a P. Ioanne* TILLARD, OP, *Decano facultatis theologicae Universitatis Ottaviensis (Canada), ad Prooemium et ad partem I; a P. Iosepho* LÉCUYER, *Professore in Pont. Universitate Lateranensi, ad alteram partem; a Mons. Salvatore* FAMOSO, *Cancellario Archidioecesis Catanensis, ad tertiam partem.*

## Prooemium

### Nature et but de l'Instruction (nos 1-4)

Les quatre premiers numéros de l'*Instructio* sur le culte eucharistique, essaient de préciser à la fois le but et le genre littéraire de ce document. Ils sont importants, et faute de les bien comprendre on risque de se méprendre sur la valeur et la portée du texte qu'ils introduisent.

Une *Instructio* est en effet un document d'ordre pratique. Elle n'a pas à mettre en lumière de nouveaux points de la doctrine, ni à présenter des perspectives de rééquilibre ou des pistes de recherche. Il lui est simplement demandé de donner des normes pratiques fondées dans les principes doctrinaux des autres documents et visant à la mise en application de ceux-ci. Il lui faut donc s'en tenir strictement au contenu des textes officiels qu'elle cherche à faire passer dans la pratique. Elle n'a le droit ni d'innover, ni de changer l'équilibre des éléments en cause.

Cette dernière remarque est importante ici. Le mystère eucharistique est, surtout depuis l'encyclique *Mediator Dei* de Pie XII, au cœur de la recherche de l'Eglise et des préoccupations du Magistère. Or ce mystère est complexe. La tradition catholique y perçoit plusieurs dimensions qu'elle sait inséparables mais dont il est difficile parfois de saisir l'ordination hiérarchique. Certains ont pu penser que les développements plus récents, en particulier ceux promulgués dans les textes du Concile Vatican II, et les accentuations nouvelles provoquées par le mouvement liturgique mettaient en cause plusieurs des formes classiques de la vie eucharistique de l'Eglise, spécialement tout ce qui concerne ce qu'on appelle le « culte eucharistique » avec les diverses formes qu'il revêt. L'encyclique *Mysterium Fidei* de Paul VI avait rappelé que ces aspects n'étaient nullement niés et qu'ils conservaient toute leur valeur au sein des vérités de foi touchant l'Eucharistie. Il fallait en outre montrer comment *dans la pratique* l'équilibre doctrinal des diverses composantes de la vie eucharistique de l'Eglise devait être assuré, sans rien refuser de ce qui appartient à la plénitude de ce mystère, mais pourtant sans fausser l'ordonnance interne de ces éléments, leur hiérarchie. C'est pourquoi le Papa Paul VI demanda au « Consilium pour la mise en application de la Constitution conciliaire sur la Sainte Liturgie » de préparer une *Instructio* par laquelle, à partir de l'ensemble des documents doctrinaux promulgués depuis l'encyclique *Mediator Dei,* des normes pratiques seraient données, dans l'esprit de la Constitution conciliaire sur la Sainte Liturgie, en vue d'assurer au culte eucharistique à la fois sa vérité et son équilibre (cf. nos 3, dernier par. et 4).

On le voit, il s'agit donc, en ce document, de donner à l'Eglise les normes lui permettant d'harmoniser sa vie eucharistique avec les plus récentes déclarations doctrinales du Magistère. Ce qui concrètement revient à faire saisir et réaliser l'unité profonde devant exister entre la célébration du Mémorial du Seigneur (centre et source de tout le mystère eucharistique) et le culte rendu à la présence du Seigneur dans le pain et le vin consacrés. Chaque élément de l'Eucharistie a sa place dans la vie de l'Eglise et doit donc être conservé, mais toujours en relation vécue avec l'élément central qui est la Sainte Messe. Telle est l'idée directrice ayant présidé à la rédaction de cette *Instructio* (cf. nos 2, 4).

C'est ce qui explique le plan suivi. Une première partie rappelle les grands principes sur lesquels la catéchèse de l'Eucharistie doit

s'appuyer. Une seconde partie rappelle ou fixe les normes essentielles devant présider à la célébration du Mémorial du Seigneur. Enfin une troisième partie traîte du culte rendu à l'Eucharistie en dehors de la Messe.

**Le rappel des principaux points de la foi eucharistique de l'Eglise (no. 3).**

La petite synthèse doctrinale du numéro 3 s'éclaire et révèle toute son importance si elle est lue dans cette perspective, qui est celle de ses rédacteurs. Il s'agissait de rappeler les points essentiels remis en lumière par les derniers documents officiels, mais en montrant leur hiérarchie et en faisant percevoir vigoureusement leur enracinement dans l'événement sacramentel qu'est la célébration ecclésiale de la Messe. En d'autres termes, il fallait donner à toute l'Instruction, de façon synthétique, sa base doctrinale.

Le texte commence par souligner que l'organisme sacramentaire a son origine dans l'acte pascal de la Mort-Résurrection du Seigneur prolongée par le don pentecostal de l'Esprit. Son origine est donc homogène à celle de l'Eglise Corps du Crist. Mais au sein de tout cet organisme, l'Eucharistie a le privilège d'être le Mémorial de l'Evénement pascal lui-même, saisi dans le dynamisme d'*Agapè* divin qui l'anime du dedans. Elle est donc, et c'est sa caractéristique essentielle, le Mémorial de l'acte sacrificiel — accompli « une fois pour toutes » — par lequel en la Mort et la Résurrection de Jésus Dieu donne au monde le Salut.

Mais ceci, en toute fidélité à la volonté du Seigneur, s'accomplit dans et par la célébration du Repas de la Pâque Nouvelle, Mémorial sacramentel, prenant le relais de l'antique Repas de la Pâque juive. Aussi peut-on affirmer que la Messe est « insimul et inseparabiliter » Mémorial de la Mort-Résurrection du Christ et banquet pascal dans lequel le Peuple de Dieu reçoit sacramentellement les biens du sacrifice de l'Alliance Nouvelle dans l'espérance du Banquet eschatologique. Et puisque ce dont on accomplit le Mémorial est de fait le Sacrifice de la Pâque, sacramentellement re-présenté sans que soit en rien atteinte sa valeur de « une fois pour toutes », il faut en conclure que dans la Messe l'aspect sacrificiel et l'aspect repas se compénètrent et s'appellent mutuellement à ce point qu'ils sont inséparables. D'une part, explique le texte, le sacrifice n'est rendu présent que grâce à la mystérieuse

transformation du pain et du vin eucharistiés, d'autre part le Christ ne rend ainsi présent son sacrifice pascal que pour permettre aux fidèles de communier, par la réception sacramentelle du pain et du vin faite dans la foi et la charité, à l'offrande de tout lui-même au Père (ce que précisera encore le numéro 12).

On notera ici trois choses importantes. D'abord la mise en avant de la notion très riche de Mémorial. Bien comprise, et située dans son contexte biblique, cette notion a l'avantage, en plus d'être traditionnelle, de ne pas isoler l'aspect « sacrifice » de l'unicité absolue de l'Evénement historique auquel on se réfère, ce qui n'ôte rien à la vérité de la présence de celui-ci dans l'acte sacramentel. Elle implique donc à la fois et inséparablement le fait de se tourner, dans la foi, vers l'Evénement passé, et la mystérieuse présence de ce dernier qui en résulte, par la puissance de Dieu. Le tout nécessairement dans un contexte d'action de grâces et d'intercession, sans lequel le Mémorial n'a pas sa plénitude. Autre aspect à noter et découlant du premier, l'accent sur l'unité profonde et structurale existant entre la dimension sacrificielle de la Messe et le Repas eucharistique. Ceci contre une tendance à les séparer ou à ne mettre en lumière que l'un de ces éléments. Enfin, simple remarque de vocabulaire, mais lourde de conséquences au plan œcuménique, relevons l'expression *Missa, sive Cena dominica* qui reviendra souvent dans le document. La Messe n'est pas en effet autre chose que l'acte où l'Eglise revit le mystère de la Sainte Cène dans lequel le Christ lui-même a donné aux siens sacramentellement son corps livré et son sang versé.

A partir de cette base — sur laquelle l'*Instructio* ne reviendra plus — on peut expliciter les autres aspects du mystère eucharistique qui en découlent. Car la Messe se dévoile alors comme l'action et du Christ, en son acte sacerdotal, et de l'Eglise qui, dans la bénédiction et l'intercession, s'offre au Père en l'acte même où elle passe dans l'offrande de sa Tête. C'est pourquoi toute Messe est une célébration de l'Eglise, Tête et membres. Mais c'est aussi pourquoi la célébration de la Messe est « origo et finis » de tout le culte eucharistique, voire de tout le culte de l'Eglise et de l'offrande sacerdotale que constitue la vie de foi des baptisés.

Il faut insister sur ce dernier point, auquel l'*Instructio* fera souvent appel, puisqu'il est comme son arête doctrinale. Trois niveaux différents du mystère cultuel de l'Eglise y sont impliqués.

Il est d'abord clair que si la Messe est le Mémorial sacramentel

du sacrifice pascal du Seigneur, en toutes ses dimensions, elle rend présent l'acte cultuel par excellence, le don du Fils incarné au Père, accompli au nom de tous les hommes. C'est dans cette présence mystérique de l'acte du Christ tout tourné vers le Père que l'Eglise rassemblée pour l'Eucharistie fait passer sa propre offrande. Les autres actes de culte trouvent là leur source et aussi l'idéal vers lequel ils tendent. En nul autre acte liturgique, en effet, l'Eglise n'a ce privilège de vivre l'offrande d'elle-même dans la mystérieuse mais réelle présence du sacrifice pascal. Aussi tous ses actes cultuels portent-ils en eux un *votum* de l'acte eucharistique. C'est en ce sens que ce dernier est « totius cultus Ecclesiae fons et culmen ».

Mais il y a plus. Le texte parle de « totius vitae christianae fons et culmen ». Nous avons vu en effet à l'instant que l'aspect sacrifice et l'aspect Repas du Seigneur étaient étroitement unis, inséparables. Le pain eucharistié donne au fidèle qui le mange la puissance de la Pâque qui cherche à le transformer pour qui lui aussi vive quotidiennement en plénitude l'offrande sacrificielle de tout lui-même qu'est sa vie de fidélité à l'Evangile. C'est donc dans la participation vraie au Mémorial du Seigneur que le baptisé puise la force pour les actes de son sacerdoce baptismal. Mais c'est également là qu'en union avec tous ses frères il fait cette offrande perpétuelle de lui-même passer en celle de la Pâque mystérieusement rendue présente.

Le texte que nous commentons s'arrête toutefois surtout sur le troisième niveau que nous voulons ici expliciter. Le culte eucharistique comme tel, c'est-à-dire le culte rendu à Dieu dans et par le mystère eucharistique entendu en son sens strict, a lui aussi, dit-il, son origine et sa fin dans la célébration du sacrifice de la Messe. Deux raisons sont ici invoquées: le pain qui sera adoré en dehors de la Messe vient de celle-ci, puisqu'il n'est consacré que là, dans la grande offrande eucharistique du Christ et de l'Eglise; la conservation des espèces en dehors de la Messe a pour but premier la communion sacramentelle des absents qui par là s'unissent concrètement à l'offrande pascale du Christ telle que la célébration l'a rendue sacramentellement présente. Voilà l'axe principal autour duquel gravitent les diverses formes de culte eucharistique dont l'objet immédiat est le pain consacré conservé après la célébration du Mémorial de la Pâque. L'hostie que l'on adore alors n'est pas une hostie privée de sa véritable finalité sacramentelle, mais le pain du Repas du Seigneur, le pain fait pour être mangé dans la foi

et la charité. L'*Instructio* le redira en tête de sa troisième section (no. 49), en s'appuyant sur des textes officiels.

On comprend mieux alors le pourquoi de cette adoration. Certes elles découle primordialement du fait que — comme l'a vigoureusement rappelé l'encyclique *Mysterium Fidei* — le Christ est vraiment présent dans le pain eucharistié. Mais cette présence s'oriente vers le don que le Seigneur fait de lui-même dans la communion sacramentelle. Le Christ adoré dans l'Eucharistie est le Christ « Pain de Vie » se donnant en nourriture par l'aliment qui fut consacré au moment où l'Eglise célébrait le Mémorial de sa Pâque. Le texte le dit dans une formule très dense: le pain consacré est conservé « ad extensionem gratiae Sacrificii ». Cette *extensio* s'accomplit éminemment par la manducation sacramentelle mais aussi — quoique de façon secondaire — par l'adoration de l'humanité glorifiée du Christ Seigneur, Témoin par excellence de l'*Agapè* de Dieu et de son œuvre de Salut. Nous avons là le point d'appui dogmatique des prescriptions de la troisième partie de l'*Instructio*.

La rapide synthèse doctrinale de ce numéro 3 nous présente donc une vue fortement unifiée du mystère eucharistique. L'apport des dernières précisions du Magistère y est pleinement assumé, mais dans un respect de l'équilibre profond du mystère. Le point d'unification de la complexité des éléments en cause n'est autre que la célébration ecclésiale du Mémorial de la Pâque, la Sainte Messe, située dans sa relation à l'*une fois pour toutes* de l'Evénement pascal, et envisagée en toute son ampleur.

### Pars I

## Quelques principes généraux auxquels doit s'attacher la Catéchèse ordinaire portant sur le mystère eucharistique

Il est évident que l'Instruction n'entend pas ici s'immiscer dans les difficiles problèmes concernant la méthode, le style, les modes d'approche, l'équilibre interne de la Catéchèse. Elle n'a à ce plan aucune autorité. Mais il lui revient de rappeler certains points doctrinaux du mystère eucharistique que la Catéchèse — entendue en son sens le plus large — doit inculquer aux fidèles pour leur permettre de puiser dans l'Eucharistie tout le débordement de vie que le Seigneur veut qu'ils y trouvent.

**La célébration de l'Eucharistie est le cœur de la vie de l'Eglise (nos 5-8).**

Il faut d'abord faire les fidèles percevoir la place centrale que joue l'Eucharistie dans le mystère de l'Eglise. Cette place n'est que la conséquence de ce que nous explicitions en commentant le numéro 3. Parce qu'elle rend mystériquement présente, en l'acte de son sacrifice pascal, l'humanité glorifiée de Jésus, la célébration du Mémorial du Seigneur a, au sein de l'Eglise pérégrinante, valeur de source et de fin. La vie ecclésiale jaillit de ce contact sacramental mais réel avec le mystère du Christ pascal où elle reçoit, avec la grâce de l'Esprit Saint, ses énérgies apostoliques. On connaît l'affirmation de la théologie classique: nul ne reçoit la grâce sans qu'il ait au moins un *votum* de la réception sacramentelle de l'Eucharistie (cf. *S. Thomas,* III, 79, 1, ad 1). Mais de plus c'est là que l'Eglise revient sans cesse pour faire monter vers le Père, dans la présence du sacrifice de Jésus, sa propre offrande et sa propre action de grâces. Tout l'organisme sacramentaire, tous les ministères ecclésiaux, tous les engagements apostoliques gravitent autour de ce centre vivant. L'Eucharistie est donc le point sommet et de l'action sanctifiante de Dieu et du culte que l'humanité rend au Père.

Elle est aussi le signe et le ferment de l'unité du Peuple de Dieu, ceci et au plan de l'Eglise universelle et au plan de l'église locale. L'assemblée eucharistique des fidèles, présidée par l'évêque — en communion avec le Collège épiscopal dont le lien d'unité est le successeur de Pierre — ou son délégué, fût-elle réduite au minimum, tout à la fois exprime sensiblement son appartenance à l'Eglise universelle et soude son unité par l'audition commune de la Parole de Dieu et le partage commun du Repas du Seigneur. L'*Instructio* se borne ici à citer quelques textes plus typiques. On notera l'accent mis sur la dimension communautaire du Salut: il n'y a pas de Salut sans l'appartenance au mystère de charité et d'unité fraternelle qu'est l'Eglise, charité exprimée et nourrie éminemment à la Table du Seigneur. C'est là un aspect important de la vie eucharistique.

Le numéro 8 souligne les répercussions de ce point au plan du mouvement œcuménique. Car de soi l'Eucharistie veut exprimer et réaliser l'unité de tous les baptisés, et la grâce qu'elle donne tend vers cette réalisation concrète de l'unité. C'est donc une grâce unifiante.

Aussi la célébration du Mémorial du Seigneur est-elle le lieu par excellence de la prière pour l'unité et de la prise de conscience du scandale de la division des chrétiens. Mais le texte va plus loin. Il demande à la Catéchèse d'apprendre aux fidèles à reconnaître d'une part la réalité de l'Eucharistie des communautés ecclésiales non catholiques romaines mais ayant conservé un épiscopat authentique, d'autre par à découvrir les valeurs positives que possède la Sainte Cène des autres communautés ecclésiales. Car ces dernières ont en commun avec nous: un rassemblement communautaire pour obéir à l'ordre du Seigneur, une authentique liturgie de la Parole, une prière eucharistique de bénédiction et de supplication, le signe matériel du pain et de la coupe, le désir de croître en charité par la célébration du Repas du Seigneur. Leurs célébrations de la Cène ne sont donc pas vides de toute valeur eucharistique.

**La célébration de l'Eucharistie et la présence du Seigneur (no. 9).**

Le paragraphe précédent s'éclaire par le rappel des divers modes de présence du Christ en l'Eucharistie. L'*Instruction* ne fait ici que reprendre, mais en l'ordonnant de façon différente et en l'adaptant au cas eucharistique, la liste donnée par la Constitution sur la Sainte Liturgie (no. 7) puis explicitée par *Mysterium Fidei*. Le Mémorial du Seigneur s'accomplit, en effet, dans la compénétration mystérieuse de plusieurs présences du Seigneur, trouvant leur sommet dans l'une d'entre elles, mais ayant pourtant chacune sa couleur propre. Présence dans l'assemblée des frères, présence dans la Parole proclamée, présence dans le ministre, présence dans le pain et le vin consacrés. Il faut noter que cette dernière, la plus importante et qui est dite réelle « non à titre exclusif, comme si les autres n'étaient pas réelles, mais par excellence », éclôt d'une certaine façon sur les autres présences. Car le Seigneur donne sa chair à l'assemblée de ses frères, par la puissance de cette Parole de Dieu qu'est la « forma sacramentalis », prononcée par le ministre agissant « in persona ipsius Christi ».

**Le lien entre Liturgie de la Parole et Liturgie eucharistique (no. 10).**

C'est dans ce climat qu'il faut situer également le contenu du numéro 10, pastoralement très important. Il souligne l'unité profonde existant entre la Liturgie de la Parole et l'offrande écclésiale du sacrifice

du Seigneur. Nous avons signalé, en effet, que la Messe était essentiellement le Mémorial de la Pâque, Evénement central du Salut dans lequel culminent toutes les merveilles de l'amour de Dieu et de son Economie de grâce. Ces merveilles, la Liturgie de la Parole les rappelle à la foi de l'assemblée et en montre les diverses implications. Le cœur des fidèles est ainsi mis en état d'action de grâces (donc d'eucharistie) et préparé pour une intercession authentique et réaliste. L'assemblée peut alors participer pleinement à l'événement sacramentel dans lequel le sacrifice pascal du Seigneur lui redevient présent pour qu'elle le fasse sien et en vive. L'action du Seigneur dans sa Parole et son action dans le pain consacré convergent d'ailleurs dans la « communion » sacramentelle faite dans un esprit de foi et de charité.

**La participation active des fidèles au Mémorial du Seigneur (nos 11-13).**

L'*Instructio* demande ensuite à la Catéchèse de montrer clairement toute l'ampleur de la fonction sacerdotale exercée par l'Eglise dans la célébration du Mémorial du Seigneur, donc de faire percevoir la conjonction dynamique et le rôle propre à la fois du sacerdoce royal des baptisés et du sacerdoce ministériel de certains chrétiens. L'accent est toutefois mis surtout sur la fonction des fidèles; on comprend pourquoi.

Le numéro 12 expose de façon synthétique, mais complète, en quoi consiste cette participation vraie des fidèles à l'Eucharistie. Ayant rappelé qu'ils sont le Peuple Saint offrant *vraiment* au Père, non seulement *par* ses ministres mais aussi *avec* eux, le Mémorial de la Pâque, il indique avec précision les divers éléments de cette entrée *active* et *vraie* des fidèles dans l'offrande ecclésiale du Mémorial: rappel dans la foi et l'action de grâce de l'Evénement pascal, association réelle à l'offrande que les ministres (inséparables du Peuple Saint, cf. n. 3) font au Père, communion sacramentelle aux aliments consacrés reçue dans la foi et la charité par laquelle la finalité même du sacrifice s'accomplit en eux par l'approfondissement de leur Communion de Vie avec le Père et leurs frères.

On notera ici deux points très importants. D'abord l'insistance sur la réception sacramentelle du pain consacré. La communion sacramentelle n'est pas, en effet, un acte extérieur à l'offrande du sacrifice pascal. Elle appartient à l'essence même de celui-ci dont le but est, selon la célèbre

formule d'Augustin, de réaliser la *sancta societas,* la *Koinônia,* la *Communion* de Dieu et de l'homme. Ce qui s'accomplit en plénitude lorsque dans les éléments consacrée le Père redonne aux fidèles, mais transformés en aliments divins, le pain et le vin qu'ils lui avaient d'abord offerts. Il y a là échange communionnel actualisant le mouvement même de la Pâque dont le Mémorial se célèbre. Mais — est c'est le second point à noter — cet échange n'est pas magique. Le texte rappelle l'importance des sentiments intérieurs devant animer le fidèle pour que sa communion ne soit pas simplement rituelle mais porte son fruit qui est l'union vivante au Seigneur. C'est pourquoi d'une part la participation ne peut pas être purement extérieure, et d'autre part la célébration doit avoir pour effet une vie davantage envahie par la puissance du Seigneur ressuscité, et consacrée à l'accomplissement de son dessein de Création et de grâce.

Quelques principes plus particuliers (nos 14-15).

La Catéchèse aux enfants pose certains problèmes que l'Instruction n'entend pas régler mais au sujet desquels elle rappelle certains principes. Certes cette catéchèse doit être progressive, adaptée à l'âge et aux capacités des enfants; elle ne peut pas tout dire. Elle doit cependant chercher à faire déjà saisir par les signes eux-mêmes et les prières le sens profond de la Messe, sans négliger les répercussions de l'Eucharistie dans la vie et la mission de l'Eglise. On notera tout spécialement ce qui est dit de la première communion. L'Initiation chrétienne forme un seul tout dont le sommet est précisément ce contact sacramentel avec la chair glorifiée du Sauveur. La première communion est donc le terme mis à l'ensemble des rites sacramentels réalisant l'entrée de l'homme dans le Corps du Christ. Il faut tâcher de faire les enfants comprendre que leur première Eucharistie est une étape essentielle de leur mystère chrétien.

Le texte rappelle enfin aux pasteurs qu'ils ont le devoir de donner à tous leurs fidèles une compréhension exacte et profonde du mystère eucharistique, centre de leur vie. Les mystères de l'Année liturgique, les rites (en particulier celui du Repas), les prières (surtout la grande prière eucharistique) doivent leur servir de point d'appui: il s'agit de faire l'assemblée comprendre ce qu'elle célèbre.

J. M. R. Tillard, O. P.

## Pars II

# De celebratione Memorialis Domini

Secunda Pars Instructionis versatur circa ipsam celebrationem Eucharistiae seu Memorialis Domini, et dividitur in quatuor partes minores:

1. Quaedam normae generales de ordinanda celebratione Memorialis Domini in communitate fidelium: nn. 16-24.
2. Celebratio diebus dominicis et ferialibus: nn. 25-30.
3. Communio fidelium: nn. 31-41.
4. Eucharistiae celebratio in vita et ministerio Episcopi et Presbyteri: nn. 42-48.

## I. Quaedam normae generales de ordinanda celebratione Memorialis Domini in communitate fidelium.

Hoc primum caput iterum facile dividitur in tria praecipua themata: primo agitur de communitate deque eius unitate (nn. 16-19); deinde de modo se agendi ministrorum (nn. 20-22); tandem de loco celebrationis (n. 24).

Ad singula quaedam notanda veniunt:

### A) *De communitate eiusque unitate*

N. 16. – Quaedam conclusiones eruuntur ex principiis datis in prima parte Instructionis, nn. 5-7, et ex ipso principio traditionali secundum quod fructus Eucharistiae est « unitas Corporis Mystici » (S. Thomas, *Sum. Theol.,* 3, q. 73, a. 3, c.). Consonum ergo est ut ipsa celebratio manifestet in signis hanc unitatem quam causare intendit; quae unitas superat omnes diversitates naturales ideoque melius apparet ubi ipsa communitas colligit fideles cuiusvis generis, aetatis, et conditionis, sicque apparet revera ut « de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata » (Cyprianus, *De Oratione Dominica,* n. 23). Recoli etiam possent admonitiones S. Iacobi de vitanda personarum acceptione (*Iac* 2, 1-4) et S. Pauli de vitandis divisionibus in conventu fidelium (*1 Cor* 11, 17-22). Cf. praeterea

Const. de sacra Liturgia, art. 32, et Instructio *Inter Oecumenici,* n. 34-35. Ad vitandas confusiones, notandum est quod nullo modo prohibetur coetus aliter compositus: *per se* tamen manifestatio naturae Ecclesiae in meliori luce ponitur, *plenius* manifestatur, quando fideles aliunde diversi in unitatem unius celebrationis rediguntur.

Haec communitas est hierarchice ordinata, ideoque ut talis apparere debet. De hac re ipsum Concilium Vaticanum II clara principia posuerat quae hic in mentem revocantur (Const. de sacra Liturgia, art. 28 et 41; Const. de Ecclesia, art. 26); quibus utiliter addi potest textus praeclarus ex Decret. de ministerio et vita Presbyterorum, art. 6: « Nulla tamen communitas christiana aedificatur nisi radicem cardinemque habeat in sanctissimae Eucharistiae celebratione, a quo ergo omnis educatio ad spiritum communitatis incipienda est ».

N. 17. – Ex iisdem principiis fluunt ea quae hic dicuntur de vitanda dispersione communitatis ad diversa; et haec quidem valent in genere de omnibus celebrationibus liturgicis, quae, iuxta verba Concilii Vaticani II « non sunt actiones privatae, sed celebrationes Ecclesiae quae est unitatis sacramentum » (Const. de sacra Liturgia, art. 26), et quae proinde, quantum fieri potest, hanc unitatem manifestare debent. Principium autem generale praeprimis applicari oportet celebrationi Eucharistiae; quod fit triplici gressu:

*a*) celebratio simultanea plurium Missarum in eadem Ecclesia, diebus dominicis et festis de praecepto, sedulo vitati debet, quando Missa pro populo celebratur;

*b*) etiam aliis diebus, quantum fieri potest, vitanda est. Exceptiones tamen, propter rationes pastorales, diebus ferialibus facilius admittuntur;

*c*) praeterea vitanda est etiam celebratio officii choralis vel in communi, baptismi, matrimonii, dum Missa pro populo, iuxta horarium publicum alicuius ecclesiae, celebratur. Idem dicendum est, ut patet, de concione quae haberetur dum Missa prosequitur.

Notandum est quod non prohibetur Missa singulariter ab aliquo sacerdote in sacello separato et sine participatione populi celebrata; neque agitur de Missis quae, extra horarium normale, in ipsa ecclesia celebrantur.

Tandem innuitur medium aptum ad vitandam huiusmodi dispersionem communitatis ex celebratione simultanea plurium Missarum,

nempe concelebratio omnium sacerdotum qui, eadem hora celebrare intendunt; de qua re plura infra dicentur, n. 47.

N. 18. – Non sufficit tamen, ut patet, unitas externa temporis et loci, sed pastores, mediis aptis, ipsum sensum communitatis tam localis quam universalis, fovere debent; media praecipua indicantur in Const. de sacra Liturgia, artt. 30, 41, etc.

N. 19. – Ex eodem principio, quaedam normae indicantur ut ipsi peregrini in celebrationem localem inserantur. Quae normae, nostris diebus, eo maioris momenti habendae sunt quo plures sunt, praesertim tempore vacationis, qui ad extra loca imo ad exteras nationes peregrinari, ibique aliquandiu commorari solent. Similis cura ut peregrini in celebrationem Eucharistiae inserantur iam in antiquis temporibus habebatur, ut apparet ex *Didascalia Apostolorum* (II, 58) et ex *Constitutionibus Apostolorum* (II, 58).

Instructio opportune recolit verba Constitutionis de sacra Liturgia, quae commendant ut omnes christifideles discant simul dicere vel cantare lingua latina partes Ordinarii quae ad ipsos spectant: hoc modo enim apte superari potest difficultas quae oritur ex diversitate linguae.

B) *De modo se agendi ministrorum*

Tria breviter recoluntur:

N. 20. – Non sufficit materialiter recta observatio legum liturgicarum, sed requiritur etiam modus agendi qui sensum rerum sacrarum insinuare valeat; verba, sive in homilia, sive in lectionibus et precibus, ita a ministris distincte proferri debent, ut fideles ea clare percipere valeant, eisque responsum dare sponte invitentur. In hac parte, Instructio implicite nititur in principio variis modis a Concilio Vaticano II enuntiato, nempe: omnes ministri sacri « pro hominibus » constituti sunt et « fratribus suis inserviunt » (Const. de Ecclesia, art. 18). Ex hoc sequitur necessitas sedulo praeparandi futuros ministros, in Seminariis et Collegiis religiosorum, ut suo munere congrue et utiliter fungi valeant.

N. 21. – Permittitur sacerdoti, pro opportunitate, ut Canonem cantet vel intelligibili voce proferat, iuxta ritum iam stabilitum pro concelebratione; haec permissio datur tantum pro Missis cum populo.

N. 22. – Transmissiones Missae ope artis radiophonicae vel televisificae tali prudentia et decore fieri debent ut exemplar habeantur pro omnibus qui audire vel videre possunt. Abs re non erit in mentem revocare normas quae in Instructione de Musica sacra et sacra Liturgia, die 3 sept. 1958 edita, in nn. 74-75 et 95, de eadem re continentur. Praeterea cavendum est ne oratio et participatio fidelium in ipso loco transmissionis praesentium ab exigentiis technicis turbentur.

Quod ultimum principium valet quoque in iis casibus, in quibus imagines photographicae durante celebratione imprimuntur (n. 23).

C) *De loco celebrationis*

N. 24. – Quaedam normae dantur de dispositione ecclesiae ad celebrationem recte ordinandam, ad mentem Decret. de presbyterorum ministerio et vita, art. 5, et Instructionis *Inter Oecumenici,* art. 90-99. Peculiari attentione digna sunt quae in par. IV dicuntur de altari maiori quod « ita oportet collocari et exstrui, ut semper appareat signum ipsius Christi, locus in quo salutaria mysteria perficiuntur et congregationis fidelium veluti centrum ». De qua re inter alia utiliter consuli potest: *Le Mystère de l'autel,* in *La Maison-Dieu,* 29, 1952, p. 5-88.

## II. **Celebratio diebus dominicis et ferialibus.**

Agitur primo de celebratione die dominica, et quidem de sensu ipsius dominicae (n. 25), de celebratione dominicali circa episcopum vel in paroecia (n. 26), de Missis pro coetibus particularibus die dominica celebratis (n. 27), de Missa dominicali anticipata ad vesperam diei praecedentis (n. 28).

Deinde quaedam dicuntur de Missa in diebus ferialibus (n. 29), tandem de Missa in conventibus ad vitam religiosam alendam (n. 30).

Quaedam de singulis notanda sunt.

N. 25. – Recolitur doctrina Concilii Vaticani II de sensu diei dominicae (Const. de sacra Liturgia, art. 6 et 106), et quaedam consilia dantur de apta institutione fidelium ad hoc mysterium digne celebrandum.

N. 26. – Ad fovendum sensum communitatis ecclesialis specialiter per Missam dominicalem, commendatur in hac die celebratio circa Episcopum, praesertim in ecclesia cathedrali, et celebratio in paroecia. Ad plene intelligendum momentum huius commendationis, recolenda sunt ea quae Concilium Vaticanum II docet de Episcopo, qui est « sacerdos magnus sui gregis » (Const. de sacra Liturgia, art. 41; Const. de Ecclesia, art. 26), et de presbyteris qui « sub auctoritate Episcopi portionem gregis dominici sibi addictam sanctificant et regunt », atque, « Ecclesiam universalem in suo loco visibilem faciunt » (Const. de Ecclesia, art. 28). Ad unitatem paroecialis coetus fovendam quaedam practice commendantur.

N. 27. – Agitur hic de Missis quae pro coetibus particularibus habentur (v. g. Missae pro consociationibus, pro pueris qui ad primam communionem praeparantur, pro iuvenibus, pro peregrinis alterius linguae de quibus in n. 20, etc.). Si fieri potest, huiusmodi Missae opportunius diebus ferialibus celebrantur. Secus, ne unitas communitatis quodammodo obscuretur, illi particulares coetus celebrationibus paroecialibus dominicae inserendi sunt.

N. 28. – Agitur de Missa in qua, ex concessione Sanctae Sedis, satisfieri potest vespere diei praecedentis praecepto de Missa participanda die dominica vel festo de praecepto. Quaedam normae statuuntur, sive de hora celebrationis (tantum vespere, hora ab Ordinario loci determinanda), sive de ritu liturgico (sicut in calendario pro Missa diei dominicae assignatur), sive de communione (quae recipi potest etiamsi mane eiusdem diei iam recepta fuerit). Quaedam magis particularia determinantur pro vigiliis Paschae, Pentecostes et Nativitatis Domini.

## III. De communione fidelium.

Post commendationem generalem communionis intra ipsam Missam (n. 31), agitur de communione sub utraque specie (n. 32), de communione extra Missam (n. 33), de modo ad communionem accedendi (n. 34), de sacramento Paenitentiae et de communione (n. 35), de communione in quibusdam circumstantiis solemnioribus (n. 36), de communione frequenti et quotidiana (n. 37), de sic dicta « gratiarum actione » post Missam (n. 37), de Viatico et communione eorum qui ad

ecclesiam convenire non possunt (nn. 30-40), tandem de communione sub specie vini tantum (n. 41).

Haec particularia notentur:

N. 30. – Ex principio theologico de communione ut participatione ipsius Sacrificii, iterum commendatur communio intra ipsam Missam et hostiis in eadem Missa consecratis (cf. Const. de sacra Liturgia, art. 55).

N. 31. – Communio sub utraque specie perfectius adhuc manifestat naturam communionis eucharisticae. Ideoque Concilium Vaticanum II principium statuit de eius possibili concessione quibusdam in casibus (Const. de sacra Liturgia, art. 55). Postea in Decreto *Ecclesiae semper,* undecim casus indicati sunt in quibus, de iudicio Episcoporum, talis communio concedi potest. Praesens Instructio hanc facultatem ad quosdam novos casus extendit, ita ut, de iudicio episcoporum, concedi possit etiam:

1) coadiutoribus missionariis laicis, in Missa qua modo publico mittuntur, necnon omnibus qui in Missa aliquam missionem ecclesiasticam accipiunt;

2) infirmo in administratione Viatici, et etiam omnibus adstantibus, cum Missa in domo infirmi celebratur;

3) ministris omnibus (et non tantum diacono et subdiacono) officium suum in Missa pontificali vel solemni adimplentibus;

4) quando concelebratio habetur: omnibus qui in eadem concelebratione vero ministerio funguntur, etiam laicis; omnibus seminariorum alumnis qui ei intersunt; omnibus membris institutorum consilia evangelica profitentium (et similium) qui in propriis ecclesiis concelebrationi intersunt, necnon omnibus illis qui die noctuque in illorum domo commorantur;

5) omnibus qui exercitiis spiritualibus vacant, in Missa quae, durantibus his exercitiis, specialiter pro eorumdem coetu celebratur; similiter pro iis omnibus qui participant conventum alicuius commissionis pastoralis. Notandum hic agi tantum de illis Missis quae pro coetu actuose participante celebrantur, non autem de Missis quae, durante conventu vel durantibus exercitiis a sacerdotibus singulariter celebrari possunt;

6) in baptismo adultorum, parentibus, coniugi, patrino et matrinae, necnon catechistis laicis neophyti, in Missa eiusdem initiationis;

7) in Missa neosacerdotis, parentibus, familiaribus, necnon insignis benefactoribus, qui Missam eiusdem participant.

N. 33. – Quamvis optandum sit ut fideles in ipsa celebratione communicent, non desunt tamen casus in quibus iuste communionem extra Missam recipere desiderant; in genere praescribitur sacerdotibus ut huic desiderio satisfaciant; praeterea quaedam normae particulares adduntur:

*a*) communio distribui poterit etiam horis postmeridianis, de licentia Episcopi loci vel Supremi Moderatoris Religionis; haec ampliatio can. 867, § 4, iam a Motu Proprio *Pastorale Munus* et a Rescripto *Cum admotae* concessa fuerat;

*b*) pro opportunitate praemitti potest brevis celebratio Verbi Dei;

*c*) si ex indulto, quibusdam in casibus, conceditur ut sacra communio distribuatur a ministro qui non est neque sacerdos neque diaconus, ritus servandus erit ille qui a competenti auctoritate praescribetur; competens auctoritas hic intelligi debet illa quae facultatem concedit.

N. 34. – Communio dari potest fidelibus vel genuflexis vel stantibus; uterque modus est consuetus in Ecclesia et legitime determinari potest a Conferentiis Episcoporum, attentis variis adiunctis, « praecipue dispositione locorum et numero communicantium ». Praestat igitur, ratione unitatis, ut omnes fideles illum modum libenter sequantur quem pastores indicaverint. Commendatur tamen, si fideles communicant stantes, ut quamdam reverentiam faciant ante susceptionem Sacramenti.

N. 35. – In hoc numero consideratur relatio inter Sacramentum Paenitentiae et Communionem. Tria praecipue dicuntur:

*a*) Ipsa Eucharistia, iuxta verba Concilii Tridentini, est « antidotum quo liberemur a culpis cotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur ». Hoc certe nemini mirum apparebit, cum in ipsa Missa unicum Sacrificium Christi contineatur, ex quo omnis peccatorum re-

missio fluit, quod idem Concilium Tridentinum his verbis expressit: « Docet sancta Synodus Sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde et recta fide, cum metu ac reverentia, contriti ac paenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno (*Hb* 4, 16). Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum paenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit » (*Conc. Trid.* Sess. XXII, cap 2; *Denz.-Sch.*, n. 1743).

*b*) Talis autem remissio peccatorum obtineri non potest nisi peccator vere paenitens et contritus accedat, iuxta verba Pauli: « Probet autem seipsum homo » (*1 Cor* 11, 28). Ex ecclesiastica autem consuetudine, haec probatio requirit ut fidelis conscius peccati mortalis, antequam ad S. Communionem accedat, sacramentalem confessionem praemittat (*Conc. Trid.*, Sess. XIII, c. 7: *Denz.-Sch.*, n.1646-1647). Haec lex generalis, a Codice Iuris Canonici iterata (can. 856), aliquam exceptionem admittit, quae iam a Conc. Tridentino breviter ita exprimitur: « ... modo non desit illis copia confessari » (*Ibid.* n. 1647); haec exceptio hic exprimitur verbis Can. 856, in quibus alia conditio exigitur, scilicet quod necessitas urgeat. Huiusmodi autem condiciones nostris diebus non raro verificantur, v. g. in terris missionum, in quibus nonnisi raro confessarii praesto sunt, ita ut per longius tempus fideles a communione privarentur si obligatio immediate confitendi urgeretur. Sed alii casus contemplandi sunt et a probatis auctoribus considerari solent.

*c*) « Fideles instanter ad eum usum adducantur ut extra Missae celebrationem, praesertim horis statutis, ad sacramentum paenitentiae accedant ». Rationes pastorales evidentes quae talem usum suadent, indicantur in ipsa Instructione; et experientia probat non esse impossibile fideles paulatim adducere ad hunc usum libenter amplectendum.

N. 38. – Commendatur oratio privata post communionem receptam. Haec commendatio fulcitur consideratione theologica non parvi momenti: ex ipsa sua natura, etenim, Eucharistia, quae est perfectissima gratiarum actio liturgica, ad unionem spiritualem cum Christo ordinatur, et ad illam permanentem gratiarum actionem quam Paulus christianis instanter commendat (cf. *1 Th* 5, 18; *Ef* 5, 20; *Col* 3, 17); consonum ergo est ut, pro posse, fideles qui S. Communione refecti sunt aliquamdiu in contemplatione doni recepti permaneant et in personali oratione se exerceant.

N. 39-40. – Communio per modum Viatici, et communio eorum qui in ecclesiam convenire non possunt. Communio infirmis et aetate provectis ministrari potest qualibet hora.

N. 41. – Episcopus loci permittere potest ut, in casu necessitatis, Eucharistia ministretur sub specie tantum vini iis qui eam sub specie panis sumere non possunt.

## IV. Eucharistiae celebratio in vita et ministerio Episcopi et presbyteri.

N. 42 – Praecipua puncta doctrinae Concilii Vaticani II de munere Episcopi in ministranda Eucharistia in memoriam revocantur.

N. 43. – Ex eo quod Eucharistia est signum unitatis Ecclesiae, quae est plebs sancta *hierarchice* constituta, Instructio commendat presbyteris ut, pro posse, celebrationem participent more presbyterali, scilicet munere suo secundum proprium Ordinem fungentes, neque tantum laicorum more communicent. Iam in antiquitate, lex praecipiebat ut presbyteri advenientes ex alia ecclesia a presbyteris loci invitentur ut sedeant in loco ipsis reservato, « in gradu suo suscipiantur et ad oblationem consecrandam invitentur » (*Statuta Ecclesiae antiqua,* c. 56: ed. C. Munier, Paris 1961, p 89; *Didascalia Apostolorum,* II, 58, 2; *Constitutiones Apostolorum,* II, 58, 2, etc.).

N. 44. – Pariter commendatur presbyteris ut quotidie celebrent, etiamsi praesentia fidelium haberi non possit: quae commendatio ab ipso Concilio Vaticano II facta est (De Presbyt. Minist. et Vita, n. 13). Hoc, ut patet, tunc praesertim valet quando presbyter ita est solus in aliquo loco ut nullam aliam possibilitatem participandi Missae sacrificium habeat nisi ipse celebret; tunc enim pro ipso particulariter valet consilium quod omnibus christianis datur ut quotidie, pro posse, in hoc supremo actu cultus christiani partem habeant.

N. 45. – Tota Liturgia est cultus publicus Ecclesiae qui ab Apostolis eorumque successoribus moderatur; inde apparet necessitas ut sacerdos legibus liturgicis se conformet; ius enim habent fideles ut cultus publicus Ecclesiae, non cultus quidam private excogitatus eis proponatur. Notabilia sunt verba S. Thomae: « Sicut enim falsarius esset qui aliqua proponeret ex parte alicuius quae non essent ei

commissa, ita vitium falsitatis incurrit qui ex parte Ecclesiae cultum exhibet Deo contra modum divina auctoritate ab Ecclesia constitutum et in Ecclesia consuetum » (IIa-IIae q. 93, a. 1).

N. 46. – Concilium Vaticanum II non semel in memoriam revocat principium iuxta quod tota hierarchia in servitium populi Dei constituitur. Ex hoc sequitur quod sacerdotes, in ordinando cultu eucharistico, inter celebrationis formas permissas, illam seligant quae utilitati fidelium melius congruat, postponendo ergo, si opus est, propriam commoditatem et proprias opiniones.

N. 47. Ex eodem principio derivantur normae de concelebratione. Utilitas fidelium praeprimis consideranda est, ideoque, v.g., sufficiens numerus Missarum praevideri debet ut omnes fideles Sacrificio participare possint. Hoc in tuto posito, et ceteris paribus, concelebratio praeferenda est celebrationi simultaneae singularum Missarum, et hoc propter quatuor rationes quae hic enumerantur: concelebratio enim *a*) manifestat unitatem sacrificii; *b*) exprimit unitatem sacerdotii; *c*) in meliore luce ponit unitatem totius populi Dei; *d*) fraterna presbyterorum vincula firmat. Revocari praeterea debet principium in n. 18 praesentis Instructionis positum, de vitanda illa dispersione communitatis ad diversa, quae facile a pluribus Missis in eadem ecclesia simul celebratis provocari potest.

Quoties igitur necessitas pastoralis vel alia rationabilis causa aliud non exigit, superiores invitantur ut facilem reddant immo foveant concelebrationem. Rationabilis causa, praeter necessitatem pastoralem, hic non determinatur; potest esse, v.g., necessitas ut iuvenes presbyteri sese exerceant etiam in rubricis celebrationis singularis. Explicite tamen confirmatur facultas facta cuilibet sacerdoti Missam singularem celebrandi.

I. Lécuyer, C. S. Sp.

Pars III

## De cultu SS. Eucharistiae prout est sacramentum permanens

Tertia pars huius Instructionis agit de mysterio eucharistico prout sacramentum permanens in Ecclesia colitur, i.e. de cultu eucharistico.

Haec pars quinque capita comprehendit, agit enim: 1. de finibus asservationis Eucharistiae extra Missam et de eius cultu privato seu individuali; 2. de loco Ss.mae Eucharistiae asservandae; 3. de piis sacrisque exercitiis eucharisticis. In ultimis duobus capitibus agitur de actionibus liturgicis erga Ss.mam Eucharistiam prout est sacramentum permanens in Ecclesia, scilicet: 4. de processionibus eucharisticis; 5. de Ss.mae Eucharistiae expositione.

**I. De finibus asservationis eucharistiae extra Missam et de eius cultu privato seu individuali.**

Asservationi Eucharistiae extra Missam triplex finis assignatur: 1. administratio Viatici; 2. communio diribenda extra Missam; 3. adoratio Domini nostri Iesu Christi sub speciebus eucharisticis delitescentis, quorum finium primus primarium ac primigenium esse dicitur, ceteri vero secundarios.

Nemo dubitat vel dubitare potest quod finis primigenius Eucharisticae asservationis saltem in sacrario apud ecclesias, fuerit administratio Viatici; eiusdem mos, teste S. Iustino (*I Apol.* 67), originem duxit ab alio antiquiore Ss.mam Eucharistiam deferendi ad absentes, post synaxim dominicalem, quin immo a more ex parte singulorum fidelium Eucharistiam deferendi et asservandi domi ac sese communicandi: et sane; quia per primaeva tria saecula, praesertim tempore persecutionis, fideles inopinate ante persecutorem et martyrium se habere potuerant: nihil mirum si etiam et in sacrario ecclesiae Ss.ma Eucharistia asservaretur uno eodemque fine quo domi fiebat, scilicet pro infirmis et in periculo mortis constitutis communicandis.

Et hic finis non tantum primigenius fuit sed et primarius, quia obligatio sese extra Missam communicandi primo et per se infirmos in periculo mortis constitutos afficit: nam communio in ecclesia diribita extra Missam, totaliter independenter a sacrificio Missae, ignoratur ante Tridentinum; saeculo XVII videtur introducta fuisse in ecclesiis conventualibus et generaliter evenit tandem saeculo XVIII exeunte.

Quamvis autem Christifideles latriae cultum Deo debitum Ss.mo Eucharistiae Sacramento semper exhibuisse nullo modo in dubium revocari possit, tamen adorationis seu cultus Ss.mae Eucharistiae Sacramentum ut hodie in ecclesia exercetur vestigium non apparet ante saeculum XII.

Hi fines ergo bene secundarii dicuntur, et non tantum quod eorumdem mores secundo tempore invecti sint, sed praesertim quia Christus

Dominus certe certius ut sumatur et in actu memoriae sui sacrificii cruenti, i.e. in Missa, Ss.mam Eucharistiam instituit.

Attamen terminus « secundarius » non vulgo intelligi debet, i.e. quasi hi fines minimi momenti sint, sed — ut dicam — sensu philosophico, scilicet tantum relate ad primarium finem; Communio diribita necnon cultus Ss.mae Eucharistiae exhibitus extra Missam ut progressus in Ecclesia retineri debet et quidem magni momenti, ut fidem faciunt recentiora documenta magisterii ecclesiastici praesertim ab Encyclicis Litteris *Mediator Dei* ad documenta Concilii Vaticani II, ita tamen ut tres fines ita inter se componantur ut emphasis erga unum finem, aliquem non impellat ad alios fines negligendos, et compositio fiat prae oculis habita unitate mysterii eucharistici, cuius culmen indubitanter habetur in sacrificio Missae.

Ex hoc principio, en quod in primis consequitur practice quoad cultum privatum erga Ss.mae Eucharistiae Sacramentum, extra Missam in ecclesia asservatum, scilicet quoad orationem coram Ss.mo Sacramento.

Haec oratio privata ut ex documentis pontificiis, ex. gr. ex Litt. Enc. *Mediator Dei* nec non *Mysterium fidei* (n. 55) et ex documentis Concilii Vaticani II, ex. gr. Decr. *Presbyterorum ordinis* (n. 18) eruitur, non est parvipendenda, nec eius valor est imminuendus, quin immo iterum atque iterum est commendanda ut frequentius pro posse christifideles Ss.mum Sacramentum visitent.

Attamen christifideles ita instituendi sunt et a pastoribus non tantum verbis sed exemplo manuduci debent, ut et eorum privata oratio coram Ss.mo Sacramento, ex sacrae Liturgiae afflatu oriatur, et prae oculis semper habeant quod ille ipse quem hic et nunc adorant in tabernaculo in Eucharistia praesens ac latens, idem est Agnus in Cruce occisus, cuius sacrificium in Missa renovatur, atque ex hoc sacrificio tantum, illa praesentia sub speciebus habetur, et eo potissimum fine habetur ut unio sacrificalis, sacramentalis necnon et spiritualis instituatur inter ipsum Christum et christifideles.

Ex hac integra ratione Ss.mae Eucharistiae habita, tria fore Ecclesia sperat: i.e. primo quod christifideles sacrificio Missae etiam diebus ferialibus saepe saepius devote adsint, secundo quod illud sacramentaliter, etiam si fieri potest quotidie, participent, tertio ut ita mysterio paschali in quo per baptismum inserti sunt, alantur et illi propria vita uniantur, et precibus ac operibus in mundo fratribus viventibus adiutorio sint.

Ne autem « Augusti Sacramenti adoratio ac piae ad eucharistica tabernacula salutationes neglegantur », oportet ne « templa per horas publicis sacris non destinantas, occlusa permaneant » (*Mediator Dei; C.I.C.*, can. 1266); pateant vero horis aptioribus pro fidelibus, non iuxta antiquas consuetudines quae forsan hodie, iuxta temporum vitaeque conditionum mutationes, tantum quibusdam favere poterunt.

Aperiantur igitur eclesiae ianua, non iuxta pastoris commodum, sed illis horis quibus iuxta vitae diversitates et adiuncta locorum, maior pars fidelium ecclesiam, si velint, adire possint, ad pias vel quotidianas sanctissimi eucharistici sacramenti visitationes.

**II. De loco Ss.mae Eucharistiae asservandae.**

In primis agitur de tabernaculo: confirmatis duobus legibus iam exstantibus, iuxta quas non in omnibus ecclesiis et oratoriis Ss.ma Eucharistia asservari debet vel potest, sed iis tantum in ecclesiis et oratoriis quibus a iure conceditur (cfr. *C.I.C.*, can. 1265), neque in pluribus altaribus eiusdem loci sacri, sed in uno tantum (cfr. *C.I.C.*, can. 1268), dispositio nova et logica affirmatur per quam in singulis ecclesiis unum tantum tabernaculum haberi possit, non plura, ut usque nunc fere ubique habebantur, cum singula altaria suum habebant tabernaculum etiamsi revera in uno tantum Ss.ma Eucharistia asservabatur.

Tabernaculum autem non tantum solidum esse debet sed et inviolabile, scilicet praebere debet talem securitatem ut periculum cuiusvis sacrilegae profanationis arceatur.

Quoad locum tabernaculum ponendi dispositiones iam in Instructione *Inter Oecumenici* extantes ex parte evolvuntur ratione habita de iis quae duobus ab annis ubique locorum fiunt.

Et — ut puto — nunc primum in actis officialibus praebetur ut solutio princeps pro asservatione Ss.mi Sacramenti sacellum ab aula ecclesiae distinctum, prae oculis habenda praesertim in aedificatione novarum ecclesiarum.

Ne autem haec dispositio diverse a mente legislatoris intellegatur, quasi cupiens Ss.mum Eucharistiae Sacramentum relegari extra ecclesiam, ipse legislator rationem dispositionis dat.

Etenim cum cultus Ss.mae Eucharistiae in tabernaculo asservatae frequentius privatim a singulis fidelibus exercetur quam publice, locus in quo Eucharistia asservatur convenit ut praesertim orationi privatae aptus sit; nam cum si Ss.mum Eucharistiae Sacramentum in

sacello exstet, pro piis exercitiis a tota communitate fidelium faciendis provideri possit illud transferendo e sacello in aulam ecclesiae, e converso nullo modo provideri poterit ut singuli fideles intento animo stent coram Ss.mo Sacramento, ita ut ex adoratione eiusdem facilius uberiores fructus percipiant, si tabernaculum exstat in ecclesia ubi non deesse solent distractionis causae. En ratio cur asservatio Ss. Sacramenti in sacello separato commendatur praesertim in illis ecclesiis ubi matrimonia aut funeralia frequentius occurrunt, aut ob thesauros artis et historiae peregrinantes convenire solent delectationis causa.

De cetero, iuxta quae in Instructione *Inter Oecumenici* (92) statuta fuerant, non excluditur quod tabernaculum poni possit sive extra altare in alia ecclesiae parte, de licentia Ordinarii loci, sive in medio altaris minoris, vel maioris, et hoc etiamsi altare ita extructum sit ut in eo celebratio versus populum peragi possit.

Sed et in hoc quaedam evolutio habetur, cuius fundamentum doctrinale praebetur: nam ex tribus locis supra enumeratis in quibus tabernaculum collocari potest, Instructio docet illum praferendum esse ubi Missa non celebratur: scilicet aut extra altare, aut in medio altaris minoris.

Et haec est ratio: in celebrationibus liturgicis, praesentia Christi, et quidem realis (cfr. n. 8 huius *Instructionis*), habetur: in coetu fidelium eius nomine congregato: in verbo eius, in persona ministri, sub speciebus eucharisticis; qui diversi praecipui modi praesentiae Christi a minus ad maius progrediuntur et culmen habent in praesentia per excellentiam reali sub speciebus eucharisticis.

Attamen si in altari ubi Missa celebratur praesentia eucharistica Christi iam ab initio Missae habetur in tabernaculo, saltem psychologice, praesentia Christi neque successive per illos modos clarescit, neque praesentia eucharistica apparet ut fructus consecrationis; ideoque, saltem rationibus paedagogicis nisi, magis congruit tabernaculum non ponere in altari ubi plerumque Missa celebratur.

Quae quidem exigentia prae oculis haberi debet praesertim in aedificatione ecclesiarum novarum, sed et etiam quando ecclesiae et altaria iam exstantes aptantur ad liturgiam instauratam, debitis adhibitis cautelis.

Quidquid sit, locus ubi Eucharistia asservatur vere praecellens esse debet et pernobilis et rite ornatus.

Praesentia autem Ss. Eucharistiae in tabernaculo indicari debet per lampadem perenniter ardentem iuxta tabernaculum positam. Instruc-

tio non loquitur explicite de conopaeo sed committit auctoritati territoriali competenti statuere medium aptum, conopaeo non excluso immo, ex tradito more, ceteris mediis praeferendo, ad significandam fidelibus praesentiam eucharisticam.

III. **De piis sacrisque exercitiis eucharisticis.**

